BIBLIOTHECA PRIVATA
PRAEP. GEN. SOC. IESU
BIBL. SCRIPTORUM
17 F 35

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
19 D
53

6-20-D-44

DIVVS
FRANCISCVS BORGIA
CÆLIFER ATLAS
A Collegio Panormitano Societ. Ieſu in eius Apotheoſis gratulationem Repræſentatus.

AVCTORE

P. IOSEPH MARIA POLIZZI
PANORMITANO
ex eadem Societate.

BIBLIOTHECA P. GENERALIS SOC. IESU
DUPLUM BIBLIOTHECÆ V.E.

PANORMI,
Ex Typographia Petri Camagna. 1672.

Impr. Cuzol. G. & V. G. Impr. R. Ioppulus P.

1331

P. IOANNI PAVLO
OLIVAE
SOCIETATIS IESV PRÆPOSITO GENERALI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IVSSVS edere in lucem cæliferum hunc Atlantem, quem in profuſa Collegij Panormitani gratulatione ob additum Diuis Franciſcum Borgiam Noſtrorum pietas, vel in ſuperos munifica ſumptuoſis apparationibus exhiberi imperauit, quam ego illi lucem, niſi nominis tui fauſtiorem, perenniorémque affectauerim? quem alium Herculem releuando huic Atlanti parem ſuffecerim, niſi Te, quem reuolutos poſt annos celebrandum vna cum Claudijs noſtris, & Mutijs, vt eius vices ſubires, ſuffragans Patrum comitijs

non

non fallax omnium lætitia delegit, mentis amplitudo deſtinauit, virtutum faſtigium prouexit, Regiminis felicitas comprobauit? debes & nunc eiuſdem gloriam ſubire, & laudibus propemodum tuis patrocinari: intelligis profectò ſub immenſa mole curarum, & affinium virtutum, quantum ille laudari meruerit, nos in Te inſpicimus, qui eius celſitatem non impari faſtigio æmularis. Omnis Te ætas intuebitur, ac ſeculis oſtendet admiraturis, ea Te mente ſub tanto, tamque vario negotiorum pondere imperterrita, ſecura ſui, conſilij certa, celeri, prouida, indefeſſaque, fortunæ, & rerum culmen ſupergreſſa complexum eſſe tanti Ordinis molem, quæ terminos, fineſque eoſdem cum orbe terrarum coniunxit, vt ſimul ſapientiam, prudentiamque ingenuã diuiſeris conſulentibus Te Regum Oratoribus, Purpurati ordinis Principibus, & Principũ populo; ſimul ſacer Pontificius Orator defunctus eo munere quatuor apud Põtifices, Romanæ Aulæ theatrum plauſu, & grata acclamatione impleueris. Eloquentur Te conceſſæ publicis deſiderijs conciones tuæ, & in eis nemo generoſam animi tui libertatem non admi-

mi-

mirabitur. Gratias Tibi profuſè agit exul ex adulantibus Aulis Veritas, quod per Te aditum in difficiles Principum aures inuenerit, vnde non mediocriter metuere poteras, niſi quod, & metu, & ſpe maior aſſurgebas. Sed modum laudibus tuis imponere cogor, quod difficillimum eſt, ne modeſtis auribus ingratus fiam ijs obſequijs, per quæ gratificari debueram.

Obſequentiſsimus Seruus
Ioſeph Maria Polizzi.

P. ANDREAS DE PVTEO

SOCIETATIS IESV

PRAEPOSITVS PROVINCIALIS

Prouinciæ Siculæ.

C*Vm P. Ioſeph Mariæ Polizzi noſtræ Societatis Opus, inſcriptum,* Diuus Franciſcus Borgia Cælifer Atlas , à Collegio Panormitano Soc. Ieſu in eius Apotheoſis gratulationem repræſentatus , *tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint; nos, poteſtate nobis facta à P.N. Ioanne Paulo Oliua Præpoſito Generali, facultatem, vt in lucem edatur, concedimus; ſi ijs videbitur, ad quos Editio librorum ſpectat. Meſſanæ Die* 4. *Octobris* 1672.

DE-

DESCRIPTIO
APPARATVS
COLLEGII
PANORMITANI.

IMpar ſuſtinendis querelis Panormitanum Collegium educit tandem ex obliuioſis vmbris ſplendida obſequia, quæ gratulabundũ Diuo FRANCISCO BORGIAE ſuperis aſſerto præſtiterat, emerita ne ſuperinductis temporibus obliterarentur. Primores enim huius vrbis viri pręſtantium rerum pares æſtimatores lamentabantur aſſidui, quòd non largiori lucis vſura, quam trium dierum; non ampliori theatro, quam vnius populi donata fuiſſet tanta apparatus muni-

ficentia, & diuitis pōpæ maieſtas; quæ oſtendi ſeculis, & Nationibus citra modeſtiam, & procul ab oſtentatione,nec extra gloriam poſſit. Quamobrem cum, & perenni, ſuperſtitique ſacri Herois virtuti pares, æternique honores debeantur, nec ij minus æternari queant: literarum monumentis lucrari ſaltem ætatem, ac diutiùs in chartis, & eruditorum luce verſari iubentur.

Vbi fauſtiſſimus nuntius,quod iam auctus Romæ eſſet Diui cognomine Franciſcus Borgia, noſtras oras peruaſit, redundantem animo lætitiam certis obtemperare finibus gratulantium Patrum ſtudia ægrè compulerunt. Enimvero quantum conſpicienda mole intuentium oculis, quantum populis influentibus Panormitanum patet Athenæū locupletiſſimè exornarunt: templum non humile, porticus Gymnadis faſtigiatas, parietes atrij impluuij arduos, aulam deſuper peramplam literarij pulueris palæſtram, ipſam quoque extimam excelſi ædificij molem ad coronatum vſque ſuperbæ frontis ſupercilium, adeo vt quò ſuſpicientium acies non niſi defatigata fertur, ornamenta intulerint. Et templum quidem murales

pilas affabrè elaboratas,principis altaris inter-capedinem, & quidquid capax periſtromatum natiuo decori ſupererat, ſericis, villoſiſque telis, quas aureæ circum ornabant fimbriæ, conueſtiuit. Altare multis gradibus in Pyramidem aſſurgens argenteam Diui ſtatuam, patente deſuper vmbella purpurea, ſublimè exceperat. Non ego hìc immorabor recenſendo locupletem ſupellectilem, populum ſtatuarum, vaſa, & candelabra cælato ex argento innumera, confuſo ordine diſpoſita, tum ſuper Pyramidis gradus, tum ſuper pilarum ſtylobatas marmoreos, tum ſuper circumactam templo coronidem: neque decora relatu digna duxero, aut ſerica igneo colore carbaſa ad lætitiam inflammata, penſiliaque ex feneſtrarum apicibus, & teſtudineis arcubus ſacellorum; aut ſex lampades geminato argenti ſplendore ardentes totidem ante aras, & alteram coralijs depictam, ditioremque. Eſt ipſum ſibimet ornamento tēplum; & quà ingenita natalibus venuſtate, quà imaginoſis marmoribus, quà pulchrè illinitis parietibus, quà ſuperfuſo fornicibus ædicularū auro decenter conſpicuum, quamquam expers ornatus abun-

daſset ornamentis: quæcumque tamen ſine pulchritudinis ſuæ iniuria ferret, omnia ſibi mutuauit: ſed reluctantibus loci anguſtijs, non omnem pompam excipere, non grandiores Patrum animos æquare poterat. Quapropter vt hi amplioribus indulgerent deſiderijs, & obſequiorum ſtudia in benemerentem olim Societatis Parentem vix fines paſſura conſolarentur, per patentiora latè Collegij ſpatia feſtis agitandis effuſi ſunt; Vaſti ſitus amplitudo eorum animos non deterruit, ſed ampliauit, erexitque ad celſiorem vſque lycei aulam.

Deſtinatum ingenijs theatrum ingentem aulam protentam in lõgum centum, & viginti pedes decenti laterum magnitudine, & procero ſatis vertice ſpectandam ab humili pauimento ad ſupremũ vſque faſtigium regio apparatu propiùs ad maieſtatem compoſuere. Gemino ordine apparatio ſuperbiebat; primus à ſolo ad mediam parietum celſitatem oſtentabat Phrygia depictas acu telas, textilique auro inſignitas, coruſcanteſque, quas vt ſuus tribuetur quæſitæ varietati locus, ſericæ telæ villoſæ alternatim cohærentes ſeiungebant. Alter verò ordo

ſu-

ſuperior ad verticem vſque prouexerat ſerica item villoſa, & ipſa ſericis ex telis intexto Aſiaticæ artis flore pulchrè vernantibus alternata. Elegans viſu, grauis, modeſtèque ſuperba aulæ ea pompa nihil ad venuſtatem poſcebat, ad opulentiam deſiderabat nihil; niſi quod pretium affluentior illi copia adimebat. Primo ſui aſpectu victa curioſitate inſpicientiū oculos ſatiabat vix deceſſuros. Splendorem apparatui præcipuum fęnerabantur Franciſci decora,& virtutes, quæ coloratis inſignibus, honoriſque Odis,& plurimo Epigrammate expreſſæ decorabantur, magis tamen decori erant. Doricas vndecim pilas imitante colore marmoreas Odæ compleuerant, eaſque inſignis Corinthio opere corona ad gemini apparatus diſcrimen in gyrum producta ambiebat. Inſignia ſuprà pilarum epiſtylia viſebantur: Epigrammata aureis ramentis ornata, inſcriptaque argenteis tabellis interiectum inter pilas ſpatium diſtinguebant.

Cęliferum Atlantem exhibere Franciſcum Borgiam imitatricis Poeſeos labor extitit non tenuis, neque inglorius:& quamquam ſupra vires laudatoris argumentum,

non

non ſupra tamen celſitatem ſuperantis ſublimiores laudes Herois viſum eſt. Atlantes ſalutari frequenter accepimus eos, quicumque obeundis vaſtæ molis negotijs pares ſeſe magnitudine tum animi,tum virtutis oſtenderint. Nos Franciſcum Borgiam, cum Societatis Ieſu molem immenſam, & iniectas inſuper à Pontificibus grauiores Chriſtianæ Reipublicæ curas ſuperiori mente pertulerit, par moderatori, ſacrum Atlantem dicere timuerimus? Iam tùm Atlantis nomē à Gregorio XIII. Pontifices inter rerum geſtarum amplitudine maximo emeruit Borgia, cum particeps grandium curarum Eccleſiam ſuſtentaret capaci tantæ molis mente,conſilio numquam titubante, firmiore virtutum vigore, animo ſupra fortunæ vices celſiore, Societatis denique ſuæ doctrina, & præſidijs indefeſſis; adeout eo terris erepto,adamantinam cœli columnā ereptam eſſe, relicto ſibi pondere, ſenſerit,& emeritis lacrymis indoluerit, dignus ipſe recentibus Pōtifex prçſtantiſſimus, nunquam non deſiderandus, niſi cum aut Clemens X. aut illi ſimiles venturi eius abſentiam pari clementia rependent.

Iam ergo ſacro Atlanti cæleſtes Orbes imponimus; ita tamen vt quos humeris ſuffulcit, eoſdem virtutibus impleat, ſimul & irradiet: proceres quoſque ſiderum Planetas, ſtellaſque omnes piè ambitioſas ab eius vertice ſplendorem haurire, & quà illi laudibus aſsentari, quà eiuratis inditis à fabulari Græcia profanis titulis,cū eius virtutibus nomen in obſequij ſpeciem commutare, procul ab adulatione effingimus: atque hæc eadem in ipſo Aulæ aditu ſericis aulæis exornato pendens ſupra ianuam tabella diues argento acceſſuros perbreui hac inſcriptione edocebat.

Quisquis in hanc Aulam
Ingeniorum palæſtram, nunc laudum Theatrum
Ingrederis, plauſum ingemina.

FRANCISCO BORGIÆ
ſuperis aſserto,
Capaci immenſæ molis mente,
Cœlifero Atlanti
Cœleſtes orbes, Planetæque Principes,
& ſtellæ quæque minores,
Sublimium eius virtutum nobiliùs
Quà ſplendore, quà nomine inſignitæ
Ob auctum illi honorem, ſibi ſecuritatem
Gratulantur.

In-

Ingreſſis aulam à dextera illius parte ornatæ, exaratæque pilæ inſignia, & Odas hoc ordine proferebant. Prima in Epiſtylio expoſuit Atlantem celſiſſimum Mauritaniæ mõtem, & cernebatur inacceſſus nubibus ſubiectos, minoreſque humero montes deſpicere. elogium hoc inſcriptum.

Tanto torquet ſidera maior.

Et Borgiam quidem Atlante maiorem tantò extollit, quantò ipſe montes eminet ſupra. In idem ſubſcripta Ode argumentum vertitur, Borgiamque iam Atlantem placido ſupra nubes vertice, ventorum iras componere, ſplendorẽ ambientibus ſtellis diuidere, cæleſtes orbes torquere humero firmiore, nec vocaturò Hercules exponit.

FRANCISCVS BORGIA
Cęlifer Atlas.

Ode.

A Tlante maior, tolleris arduus
In aſtra toto, Borgia, vertice,
Quantum inuidentem vincit Atlas
Culmine ſtellifero Gebennam.
En peruicaces ſub pedibus, Tibi
Corique, & Euri, & turbidus Adriæ
Euerſor Auſter, prœliaris
Et Notus in Boream refracta
Mulcentur ira; per latus inuium
Iam nulla raucos claſſica prouocant
Ad bella nimbos; nulla denſas
Fulmina dilacerant procellas.
Si quos proteruos æthere comperis
Ferri tumultus, dum caput altius
Oſtendis aſtris, Tu beati
Luce ſupercilij ſerenas.
Mirata fulgur ſidera nobilis
Inceſſit ardor, lampade pulchrius
Crinire ſeſe, Herois alta
Heſperij micat vnde virtus;
Flammas ab illa poſthabito trahit

Splendore ſolis Phoſphorus, & diem
Accendit inſignem: colorant
Purpureum proceres ab illa
Iubar Planetæ; dumque Hyperionis
Diues Senatus geſtit ob additum
Stellis honorem, mole maior
Aetherios humero rotantis
Attollit orbes Axis Atlantico
Franciſcus. Axis voluere tutior;
Non Herculem hic feſſus labori
Aptior aſtrifero vocabit.

Hæc prior prægreſſa carminis totius veluti argumentum, & ſeriem aperuit. Sequebantur inde, cæteræ odæ, quę ſphęras cęleſtes ſecuriore lętas humero ſacro Atlanti imponebant; & ſimul cuius virtutis ſplendore quęlibet ſphęrarum afflaretur, carmine edocebant.

Cę-

COELVM, LVNAE.

Obtulit ſe prę cæteris citimum terris lunare cælum; corpuſque conſpicuum, & nobile ad colorandum inſigne, ſuppeditauit. Lunam ipſam nocturno aere coruſcam pingimus orbe completo, atque hæc verba addimus.

Solatur funera ſolis.

Franciſcum Borgiam commendat, qui cum gereret vices alterius ſolis Ignatij, ſolatio fuit exortæ męroris nocti, eius fata repẽdens luce, ſed nunquam deficiente. Ode cæteris officioſiorem lunam inducit, quæ ſphęram Borgię humeris aptat. Interea lętantur aucta ſecuritate ſidera; hinc tardus Bootes ſecurior factus, negligit plauſtri habenas, ſolaturque iter carmine, modulans ſimiliorem Ignatio Borgiam, quam luna ſoli, eius funera terris rependiſſe.

Canitur Ignatij imitator.

Ode.

ERgo recenti lumine ditior
Cognata terris, obſequijs prior
Phæbe reponit Borgiano
Perpetuos humero ſupernæ
Sphæræ labores. Sidera, Borgio
Torquente ſphæram, non vigili tegunt
Pallore vultum; non timet per
Aethera deproperare plauſtrum
Tardus Bootes; nec dubio regit
Curſu rotarum pondera, conſulens
Poli ruinæ, concitatum
Quam glomeraret iter, gemente
Arctoo iniquis cardine motibus;
Audentiorem ſed columen facit
Aequale moli, & deſtinata
Firmior ex adamante virtus.
Audis? habenas tendere negligens,
Vt flexuoſæ tædia ſemitæ
Deludit immuni timoris
Carmine noctiuagus viator?

Patrem diei cum rapiunt, canit,
Sepulchra ſolem, Delia tum ſoror
Prouecta bigis, fœnerata
Lampade mæſtitiam nigrantis
Solatur orbis. Quam bene ſplendidũ.
Hęres paterni Borgia luminis,
Ignatij plorata ſtellis
Funera conſimili rependit
Nitore terris; occiduum bibit,
Totumque pleno, nec variabili
Diſpenſat ore ſolem ad Indos
Auſonio radioſus orbe.



Cœ-

IN hanc ſphæram potentis donum linguæ eueximus, qua Franciſcus Borgia, & fræna populis, & vitijs terrorem inijcere valuit. Hinc Manticoram exhibuimus nulli ſecundam ferarum immanitate belluam, neque ad populorum furorem exprimendum alteram paratiorem. Sub humano vultu leonis membra gerit: ſuccenduntur igne oculi, oculos reliquus corporis color imitatur; dentes triplici ordine conſitos, aculeatoſque oſtendit. Illa, vt erat ferocior, & obarmata iaculis cauda, incultiſque iubis terrificum ſpirans horrorem, ſuppoſuiſſe ceruicem pacifero caduceo, quem lubenti ſuſtentabat dextera, viſebatur, cum his notis:

Has dicto flexerit iras.

Efficacem dicendi vim Borgiæ indicant, quam fuſius ſuppoſita explicat Oda, contenditque, vt Mercurius ſphæram digniori ob potentiorem ſermonem Borgiæ moderandam relinquat, ipſe autem Atlantis vices ſubeat.

Cæ-

COELVM MERCVRII
Potentis linguæ donum.

Ode.

FRonte quid tu nobiliore torques
Diue, libratam titubantis orbis
Machinam? i noto ſpatiare cœlo
Digniùs Heros.
I ſuper ſtellas ſocius volentes,
Vnde ſubiectum videas Atlantem,
Vnde adorantem videas recuruo
Poplite Calpen.
Si ſator Maiæ dubius ruinæ
Impari pondus cohibet lacerto,
Mercuri, ſeræ auxilium ſenectæ
Pondera deme:
Penſilis vaſta releua labantem
Mole ſub mundi: decet id nepotem:
Perge, quid ceſſas? viduam gubernet
Borgia ſphæram.
Tantus haud campis equitat ſolutas
Alpibus brumas, Hyemeſque ducens
Arnus euictas, fluit vt loquenti
Borgia ponto.
Ille vocali cithara ſequaces

Non

Non trahit pardos, comiteſque ſaltus;
Non trahit rupes, rapidaſue ſiſtit
Fluminis vndas;
Sed vocat ſæuum ad pia iura Thracem
Supplices Regum trahit ore faſces,
Neſcium fræni populum, & rebelles
Temperat iras.
Ille plus vultu eloquitur ſilenti;
Barbito quàm tu ſtrepites loquaci,
Mercuri, ſphæræ rutilantis adde
Borgiæ honores.

COELVM VENERIS.

SPhęram Veneris pudicus Borgię candor conſecrat. Inuius Cupidinum telis canitur. Inſigne coloribus repræſentabat ſtellam Veneris, quam phoſphorum vocant, procul à ſole, cum ſe in cęlum infert, oſtenditque mundo, fugientem comis non integris, atque maiori lumine obumbratis. verba hęc notabantur:

Extinguit fugitiua faces.

Ex quo liquere voluimus fugatas, diſiectaſque cecidiſse procul ab aſpectu Borgię profanas flammas non aliter, ac ſidus hoc

emo-

emoritur, exoriente ſole. Oda Cupidinem canit euictum à Borgia, fractis telis, proiectaque pharetra in Eurotam ſacrum caſtæ Dianæ fluuium ſuadere matri fugam; non paſſuro ſacro Atlante impudicam ſuo ſibi vertice flammam deſuper imminere, hoc modo.

COELVM VENERIS.
Inuius profano amori.

Ode.

VIdimus fractas rapidum ſagittas
Voluere Eurotam, ſimul, & trophæo
Fortis Alcidæ tumidam per vndas
Nare pharetram.
Arma raptori iubet ire fluctu
Dirus, & vinci impatiens Cupido;
Borgia vincor, pudibundus inquit,
Hercule victo.
Ille ſi Lethes maduiſſet vnda,
Qualis emerſit Thetidos cruenta
Dardanis proles, Priamique luctus,
Inuia telis;
Talis à noſtro trepidaſſet arcu,

 Cin-

Cingeret lauro pharetram potentem,
Fecit, vt nomen domitus triumpho
Theſſalus Heros;
Ille ſed noſtris triplici recinctum
Obijcit telis adamante pectus,
Cui rigor circum Rhodopes refuſus
Territat ignes.
Pellimur cælo genitrix; volucri,
Nam quid inſpectas? Cytherea, curru
Perge, declina ſuperantis iram;
Victor adurget.
Noſter en hoſtis propiore luſtrat
Fronte iam ſtellas, rapiet minaci
Ille te dextra, nitidoſque crines
Sparſerit euris.
Vectus inſignes pudor inter ignes
Borgius, caſto redimitus auro
Neſcit impuram tolerare ſtammam;
Cernis, vt inſtat?

COELVM SOLIS.

ILluſtriorem reddimus ſolis globum Borgiæ mentis lumine numquam conniuente, quo in diuinarum rerum cognitione erũpentibus è vultu radijs coruſcare conſueuit. Pro inſigni Auem illam, quam Paradiſi vocant ſublimem volatu,ſplendidamque elegimus; ferunt enim collucere pennis, adeò vt latere nuſquam poſſit, detegente earum luce latebras ; nunquam ſolis occaſum doleat, inuehens ſecum ipſa diem; quin pennigera ſyluarum Cynoſura iter noctu facientibus oſtendat. Lemma erat:

Quibus euoluat aſtris.

Et quemadmodum ipſa, ita & Borgia ijſdem fulgurare alis indicatur, quibus ſublimis tollitur ad aſtra. Geminas alas Zoroaſter, & Plato animis mortalium in ipſo exortu inditas aſſeruere, vt ſeſe è corporis exilio aliquandiu eripere, atque in amiſſam,antequam cognita fuerit, Patriam auolare queant. Illas Borgia frequenti ſiderum conſuetudine ſibi inaurauit, & coruſcas retulit. Oda inuitat Vraniam cęleſtem muſam, vt incolam cæli Heroem nouo, ſublimique carmine euehat.

hat. Lyra impatiens expectare pectinis arbitrium vltro in laudes eius aſſuetæ cœlo mentis erumpit.

COELVM SOLIS.

Splendido vultu in Deum abreptus irradiat.

Ode.

Affer canoram Diua potens lyram,
Quæ feriato carmine ſiderum
Ciet choreas, quæque retro
Ad numeros fidium cadentis
Vocat diei præcipitem freto
Rotam; reuinctis, Vranie, comis
Florente ſtella, ſiue mauis
Virginea redimita lauro
Adſis; canendus non humili ſono
Cœleſtis Heros, & tibi notior:
Nam ſæpe tecum actus magiſtra
Sidereas celebrauit arces.
Non tacta curuo pectine geſtiens
Cantare, ſecum iam lyra murmurat
Arguta laudes Borgianas;
Iamque fides furor vrit omnes.

Quàm

Quàm ſæpe viuo mentis anhelitu,
Sacroque raptus turbine, concinit,
Celſoſque Gauros, & Niphatæ
Summa ſuper gradiens volatu
Erectus Heros culmina, deſpicit
Vmbrata ſtellis Acroceraunia,
Multuſque ſcintillat relicti
Solis ad inuidiam coruſcus!
Frequens beatis hoſpes in atrijs
Non quærit alto gurgite turbidus
Si quid minetur Tybris, & num
Aurifluas dominæ fidelis
Vndas Hydaſpes cogat Iberiæ,
Induſue frãgas indocilis iugum,
Exuberantem, ſed volutat
Corde Deum, ſaturatque curas.

BIBLIOTECA ... ACCAD... VITTORIA...

Cœ-

PRæliarem Borgiæ in reluctantes animi cupidines virtutem, numquam non inuictam Martis Regia donamus: in inſigni eã ipſam adumbrabat depicta Cyconia, ſtrenua volucris, viperis infenſa, ijſdemque inuiſa, de qua Virgilius cecinit: *Cum vere rubenti*

Candida venit auis longis inuiſa colubris.

Ea verò indefeſsis vnguibus, & ſanguineo roſtro viperarum nodum diſcerpens, hæc ſuper inſcripta verba proferre videbatur.

In me reluctantes.

Nec minus Borgia nulla ſuſcepit bella, niſi in rebelles moderatori animo ſuo turbas, quas ita vicit, vt prælijs materia, non oppugnandi alacritas defuerit; numquam non victor, numquam tamen elatior extitit victoria; hinc ipſam victoriam viciſse, non ſupra eius gloriam, aſserimus; hinc Martis ſphæram, veluti deſtinatum ad triumphandum capitolium infra pręmium illi recenſemus. Ode itaque Martem cruentum ſua de ſede deturbare adlaborat, vt in ea maior inſideat Borgia, atque eo dignior, quod non Vrbium, Regnorumue ruina erectus, non populorum ſanguine, ſed ſuo de vulnere trabeatus aſcendat.

COELVM MARTIS.

Ob partam de cupiditatibus victoriam.

Ode.

DVdum cruento fulgure territus
Pugnacis aſtri, cum potuit prius
Inuitus Axis, cæde tetra,
Et viduo gemitu fruentem
In clade pacis, ter quatiens tholum
Iurauit alto præcipitem globo
Ciere bellorum parentem;
Terque trucis pauidus ruinæ
Fragore Mauors, vnde receperat,
Fuit daturus nomina Strymoni.
Pallente fluctu, audita vox hæc:
Sidera quid ſcelerat furore
Vecors Tyrannus? ſecum odia, & minas
Trahat ſequaces: impoſita ſuper
Tantum ſepulchri mole tollat
Inde caput, videatque cælo
Ardere lumen mitius, & coma
Spirante pacem. Surgit in æthera

Fran-

Franciſcus, erectus trophæis,
Non profugi populator Afri,
Non belluoſus Seribus, aut Getis,
Perſiſue; maius ſed ſpolium tulit:
Se vicit inuictum, ſuiſque
Vulneribus radiat decoris.
Cruore ferrum non ſaturat, niſi
Sibi cruentus. Quos Tanais lauat,
Et quos inaurat ditiori
Præteriens Arimaſpus vnda,
Domes triumphi clarus adorea
Maiore terris, viceris at minus;
Maiorque creſcis, cum feroci
Pace tibi geris arma Mauors.

Cę-

COELVM IOVIS.

DEcet, & hanc ſphæram Iupiter integrioris famæ, atq; ea Franciſcum Borgiam prono ad iuuandum animo Principem beneficentiſſimum, Iouem auctorari flagitat. Inſigne induxerat nubem grauidam, plenoque vbere languentes agrorum plebeios flores imbribus abundè irrorantem, ſed ſine ſtrepitu, atque in exoratam. hæc inde loqui videbatur:

Alijs quæcumque coegi.

Vides in celſa hac nube ſublimem Borgiæ beneficentiam in pauperes effuſam (sũt enim terræ flores nudi, egenteſque) nihil ſibi regiarum opum feciſſe reliquum, niſi quæ largita eſt alijs: dilexiſſe quoque & ſilentiũ in beneficijs, quæ nulla vnquam ætas ſilebit. Oda eiecto profano Ioue reciproca pæna, quod ipſe Saturnum è cœlo deturbauerit, precatur ſidera, vt poſthac beneficũ magis integrioremque Iouem Borgiam ſalutent. Eriguntur præterea gratulaturæ adiectum illi honorem Inſulæ beneficiorum memores.

COELVM IOVIS.

Ob effuſam Beneficentiam.

Ode.

ET te, miniſtro fulminis Alite
Polluta ſedes, conſcia Dardani
Rapti fatigatas per auras,
Et querulam Ganimedis Idam,
Exorat atri turbinis occupes
Vt obſtrepentem, Borgia, *Regiam;*
Nouuſque nimbos contumaces,
Aeliosque regas repreſſos
Vinclis tyrannos Iupiter integer
Famæ, ſupini neſcius otij,
Intaminato clarus oſtro;
Aetheria i trabeatus aula.
Poſt terga vindex perſequitur Reos
Non tarda iuſtis pæna furoribus
Accincta: Saturnum feracem
Ingluuiem è ſolio merentem
Superbus egit Iupiter, & ſibi
Potitus aſtris Imperium impius,
Et iura diuiſit minaci
Oceano, & Phlegethontis vndæ:

Et

Et ipſe pulſus nunc ſimili luat
Scelus ruina. Sidera Borgiam
Iouem ſalutent. Is procellas
Egerere auriſluas egenis
Viſus frequenter: prodigus aurei
Latè nitoris, non ſibi ditior
Fugauit ærumnas, vocari &
Iupiter emeruit iuuando.
Iam prona frontem lætior erigit
Suprema Thule, iam Libye ſacris
Decora palmis gratulatur
Emerito titulos Atlanti.



COELVM SATVRNI.

DEbetur illi, & cælum Saturni ob inuectam aurei ſeculi appendicem, virtutibus ſuis concolorem. Borgia enim intaminato auaritiæ ſordibus regimine, ſepoſito Principis faſtu populorum ipſe ingruentes curas, vigileſque labores ſuſcepit, populis domini otia facturus. In inſigni picturato caput Tauri expoſuimus ſtellis redimitum, vt cæleſte ſignum, & auitum Borgiæ familiæ gentilitium ſtemma decebat. Eo viſo tellus de more hyemalem exuens ſqualorem hilariori flore depingebatur. Lemma Virgilius ſuppeditauit eo in Tauri ſignum carmine: *Candidus auratis aperit cum cornibus annum.* Nobis priora tantum verba inſcripſiſſe fuit ſatis:

Candidus auratis aperit.

Atque vt auſpice eo ſigno redit temperati veris mitior ætas, ita ſub virtutibus Borgiæ aureæ ætati patuiſſe aditum innuimus. Ode imperat famæ, Heroum muneratrici, vt Borgiam in Saturni ſphæra reponat: autumat eum perennius nomen daturum fuiſſe aureis ſeculis, ſi ea tempeſtate, qua Satur-

turnus annorum ſatur, in Mundum prodijſſet: virtutes inde aureas, quibus aurea tempora recudiſſet, enumerat.

COELVM SATVRNI.

Ob reuocata aureis virtutibus aurea tempora.

Ode.

Vitæ ſuperſtes Poſthuma gloria
I fama, ſtellis tolle curulibus
Heroa, donec dedicatum
Temporis Annifero Satori,
Splendore vultus irradiet globum.
Si priſca noſtrum ſecula Borgiam,
Et ante Saturnum tuliſſent,
Nec melior meruiſſet ætas
Secuta, tanto ſub Duce tempora
Riſiſſe primum vultibus aureis,
Et ver perenne, & fauſtitatem
Aoniæ canerent beato
Plectro ſorores. Aurea ſecula
Perenniori Borgia nomine
Peneus acclamante dici
Gurgite Theſſalicos doceret

Lu-

Lucos. Futuri temporis arbiter,
Cuſtoſque recti, quem decor, & fides,
Non aura vulgi, non doloſi
Corripuit breue fulgur auri,
Vt ominatis Borgia plauſibus
Affulſit orbi, non ſtabilem is rotam
Sedare fortunæ procacis,
Cladibus is poterat ſepultis
Beare mundum; is limina Colchidos
Recincta nullo linquere milite
Secura furtorum. recurrunt
Principis imperio innocentis
Fugata terris aurea tempora;
Si vita ab aureis moribus enitet,
Non cyclas, aut minata ſtellis
Tecta Tago ſaturata, & Hermo.

COELVM SIDEREVM.

ID Borgiarum virtutum ſcenam aperimus tot ſideribus coruſcam,quot ille virtutibus effulget. Sidera earum numero,& ſplendore numquam occaſuro vinci non erubeſcunt, immo amant.Inſigni depingendo nobilius, aptiuſque ſchema obijci non poterat: Cælum ipſum ſplendidum Theatrum innumeris, & omnibus ſtellarum facibus accenſum in conſpectum dedimus. Stellæ æmulo ſtudio ardentes de Borgię virtutibus verba habebant hoc dicto:

Illa numquam in occaſum

Inuideant ne, an gratulentur in dubio eſt; vtrumque Borgiæ glorioſum obueniet. Lyrica poeſis ſidera etiam pratorum Aprilis pompam, Borgiæ virtutibus concedere; deinde ſupernas ſtellas circumplicare ſeſe in coronam non fulcienti modò, ſed & inferenti nouum cælum Atlanti canebat.

COELVM SIDEREVM.

Paribus virtutibus, ſed non occaſuris.

Ode.

SI quis reducto digerat ordine,
Albo recenſens, Borgia, calculo,
Quot floribus virtutis almæ,
Quot facibus rutiles beatis:
Auriga noctis, quot radiantibus
Accendat aſtris Heſperus æthera
Vmbræ pauentem circumactæ,
Audeat in numerum referre;
Et quot virentes Alcinoum ferat
Pratum ſmaragdos; quotue ſuperbiant
Gemmis renato vere ſyluæ,
Cum zephyris equitans benignis
Redux in agros compede liberos
Paſſim niuali, lætitiam, & decus
Infert, iuuentutemque Aprilis
Occidui reparator anni.
Sed quid caducis turget honoribus
Regalis hortus, dextera quem Cyri

At-

Attrita ſceptris, ſeu ferocis
Cura Semiramidis ſoluta
Crebrò maritat purpureis crocs?
Quid iactat æther ſidereas faces?
Agris nitentes vna flores
Proterit, vna dies ab ortu
Metit cadentes ſidereas roſas;
Inuicta ſeclis at Tibi, Borgia,
Viſura numquam fata, virtus
Floret inocciduo nitore.
Vinci fatentur ſidera: lampade
En ambienti circumeunt caput,
Seſeque nectunt in coronas
Aetherio Famulas Atlanti.

PRIMVM MOBILE.

SVblimes in hoc cælum curas, primoſque cæleſtis, hoc eſt Borgiæ mentis motus extulimus, quibus ille dum primùm Societatis molem animare, & regere cœpit, quadraginta Patres ex Societate, Duce eorum Azebedo, fidei lumen laturos in ſepoſitas ſitu, & Religione Mundi oras, quas penè ſolis radij latebant, deſtinauit. Nauem ingentem mole, impulſam vento non pauidam procelloſi furoris, ſchema præferebat: agitari fluctus, turgere carbaſa, ſpumarum murmura auritis oculis, deceptaque aure audiri, nauis ipſa eripi ab intuentibus celeri volatu videbantur. In vno vexillorum hæc verba ventilabantur.

Vno aſpirante.

Nimirum Borgiæ ſpiritu animata in vltimas Mundi plagas promouebatur. Oda concordi lyra canebat feruidas eius curas ſupponendi extremos orbis populos nobili Romanæ fidei iugo; impulſam ſecundis auſpicijs, & Borgiæ deſiderijs ad

Bra-

Braſilos claſsem, à qua pluuias, infauſtaſque nauigantibus Pleiades precibus relegat: purpuratos demum glorioſo ſanguine Patres Oceani ſepulchro honorat.

PRIMVM MOBILE.

Ob primos Regiminis ſui motus in Braſilorum ſalutem.

Ode.

QVæ cura inſolitis ſaucia paſcitur
Succreſcens animo pectora morſibus
Atlanti ætherio, tunc vbi ſplendidum
Dorſo præripuit iugum?
Agmen ſigniferum nominis inclyti,
Cui plaudunt tremulo ſidera fulgure,
Nutant cui gelidi culmina Carpati,
Et Lethe ſilet infera,
Efferre in ſtygiæ monſtra proteruiæ
Ardet. Sepoſiti finibus vltimis
O qui conſpicitis decidua die
Languentes Bijugos facis
Vectores rapidæ tergere puluerem
Merſos Oceano; pondere ſub Poli

Voluit vos animo Borgia, feruidus
Seiunctas zephyri domos,
Gadeſque, & reſoni littora Boſphori, &
Hebrum, & Danubium, & proxima Gargaro
Regna vno fidei nectere ſub iugo
Victuræ. Superi date
Felices animas: omine turgeant
Fauſto veliuolis carbaſa fraxinis;
Abſcedant pluuiæ ex æthere Pleiades,
Dum curſu æquora deuorant.
Claſſes ite citæ: perſequitur pias,
Et deſiderijs, & precibus rates
Per fluctus tumidi Borgia Nerei:
Ite, euertite Numinum
Turbas Tartarias: ò bene Braſili
Felices, cupidis ſi patiamini
Vinci Borgiadis, ſed mare purpurat,
Et ſoles tumulat nouos.

CAELVM EMPYREVM.

VLtimum en imponitur noſtro Atlanti, quod ſupereſt, cælum Empyreum, mortalium laborum auſpicium idem,& meta. hoc feruens Borgiæ in patriam cęleſtem ardor incendit. In expoſito inſigni ardebat ſaturo ſplendore facula viuax, quæ inquieto ſpiritu ſublimis è terra in cælum anhela ferebatur. Inditam illi vim lemma innuebat his verbis:

Numquam aliò.

Nihil aptius hac flamma inflammatum Borgiæ deſiderium declarat, numquam aliò ire connixum, quàm in ætheriam ſedem;ille namque, & ſi maiore terrarum ambitu mente, & rerum geſtarum amplitudine multis Prouincijs inhabitaret;eam tamen vnicè, quã amore animabat cæleſtem Patriam animo incolebat. Subiecta quoq;Ode œſtrum ab eius in cælum amore ſuccendit: geminatas ſacri Atlantis contactu ſiderum faces,accenſas reciproco igne ſtellas, recluſos deniquè potentibus lacrymis,& votis cæleſtes poſtes ad numeros lyræ perſequitur.

Cæ-

CAELVM EMPYREVM.

Cupido ardore incendit.

Ode.

VRit fulmineum Creta Hecatom polis
Abſentem Patria dulcis amor Iouem:
Et Latonia Delos
Intonſum vrit Apollinem;
Stellantis Patriæ conſpicuus decor,
Et flammæ vigiles, & tholus ætheris
Pictus flore coruſco,
Limenque Empyreæ domus
Franciſcum immodicis vrit amoribus.
Dulci ſuppoſitus Borgia ponderi,
Dum celſo propiora
Tangit ſidera vertice,
Flammas ingeminant aſtra potentius:
Hinc ille inſolitis ignibus æſtuans,
Pectus depopulatam
In vota exonerat facem.
Arſiſti gelidis cana rigoribus
Arctos, flammiferis obuia Borgiæ
Curis, & tibi flauæ
Afflatæ nimia face

Fu-

Fumarunt Procyon, non ſolitum, iubæ.
Audiſtis vigiles excubiæ Poli,
Quanto pulchra beatæ
Pacis limina carmine
Propulſauit, amans rumpere carceris
Crebris edomiti vincula fletibus:
Cur non ſidereos heu
Hoſpes traijcio choros?
Cur vita exilium protraho longius,
Et pœnas viduus ſentio ſenſibus?
Auditur: nec amatæ
Durarunt lacrymis fores.

EPIGRAMMATA.

CAEleſtes orbes ſiderum quoque ſecum rotant honores; ijs recenſendis Epigrammata ſeruiebant media inter inſcriptas Odis pilas diſpoſita. Stellarum agmen præibat pedibus aligeris Perſeus.

PERSEVS.

Obriguit lapidoſus Atlas, cum liuida Perſeus
Obtulit anguineis Phocidos ora comis.
Extinctam ſpectans Iſabellæ Borgia formam,
Vitali ætherius funere creuit Atlas,
Vertitur in placidum, quo viſo Gorgonis, aſtrum;
Perſeus, & pergit tergere luce comam.

CASSIOPEA.

Nereidas vici forma ſpecioſior omnes,
Sidereas vici Caſſiopea roſas:
Lumina me vincunt iuſsis occulta tenebris,
Quæque locanda Polo Borgia fixit humi.
Pulchrius it lumen pulchri contemptor honoris,
Et quod me lumen deſpicit eſſe velim.

VRSA MAIOR.

LAbitur obliquo non vnquam ex ęthere plauſtro,
Tingitur haud vnquam Parrhaſis vrſa freto.
Oderit ingratas, quibus eſt detecta Dianæ
Vndas? an ſpeculum turpior ore fugit?
Gaudet inoccidua flamma, nam, Borgia, famæ
Non occaſuræ ſplendet imago tuæ.

D R A C O.

Aurea qui quondam Heſperidũ defenderat hortis
Germina, cuſtodit nunc vigil aſtra Draco:
Atque vbi ſtellantes orbes ſacer excipit Atlas,
Ille ſacro rutilat lumine conſpicuus.
O vtinam extiterim ante fores Tibi Borgia, cuſtos,
Inquit, eras cultor, ſed vigil ipſe magis.

C E P H E V S.

ORe tuli fuſcas hebetato ſidere noctes,
Nam geminæ ardebant, ſed ſine luce faces:
Nunc decerto diem crinito clarior aſtro
Vincere, & auratum ſolis obumbro iubar.
Borgia me ſpargit radioſo lumine, mentes
Qui ſæpe in Cycnos verterat Aethiopes.

PISCIS VOLANS.

P*Iſcis erã, volucriſq; ſimul, vagus ætheris hoſpes,*
Aequoreum findens ſquamiger hoſpes iter:
Borgia dum ſtellas auget ſplendore recenti,
Me fortunato videris Axe facem:
Non vnquam volitem, nec amabo flumina, noſter
Ni quando in lacrymas diſsoluetur Atlas.

AVIS CAELI.

P*Arca cibi, ſomnique breuis dans otia pennis,*
Aſtra minor pedibus ſumma capeſsit Apus:
I cæleſtis auis, ſtellis & conſtrue nidos,
Nullus te meruit dignior orbe locus;
Quam tibi perſimilis ſubit æthera Borgius, alta
Cui mens, menſa nimis ſobria, cura vigil!

I N D V S.

H*Ic prior ex vmbris Orco propioribus Indus*
Pallens argentum concolor ore tulit.
Præda vtinam latebris Prædo manſiſſet Auernis,
Ne malè fulgentem promeret orbe luem;
Si fulget ſidus; cælum tibi, Borgia, debet,
Per quem luſtrali ſępè piatur aqua.

Grus

G R V S.

DVx auiū ſectata ducē vigil excubo, & hoſtes
Grus in Pygmæos impigra bella gero:
Agmen amo ſocium, ſpretaſque per æquoris iras
Demigro, cum Rhodopen viſere poſſe datur.
Borgia tu vigiles maior præcellis in hoſtes;
Quoſque præire ſoles conſilio, ſequeris.

P A V O.

LVna mihi frontem nitido ſupereminet orbe,
Me ſol cæleſtem multus oberrat Auem:
Iris habet collum, depictam ſidera caudam,
Inque humeris cæli fulgurat omnis honor.
Cælifero multum ſimilis iactarer Atlanti:
Aſt ego degeneres lacrymor vſque pedes.

C R A T E R.

AVreus aſtrigeris ſcintillat ab axe pyropis
Crater, an pariter decoquit aſtra ſitis?
Hic ille eſt crater, ſuperi qui nectaris hauſtum
Aurea torquenti ſidera ſæpè tulit;
Ille tuas cepit lacrymas, dum Borgia ſancto
Igne liquabaris; lacryma ſidus erat.

PHOENIX.

QVæ thuris lacrymas poſito moritura feretro
Spargit, & Aſsyrij ſpargit odoris opes,
Et virides Phœnix poſt fata reſeminat annos,
Vitali cunas condere docta rogo;
Splendet imago Tibi viuacis Borgia fati:
Sed tibi thure pio, non rogus, ara flagrat.

ANDROMEDE.

ANdromede monſtris fleuit deuota marinis,
Mitior vt ſcopuli cœperit eſſe ſinus.
Vna ſalus miſeræ fuit illacrymaſſe ſalutem:
Soluitur è vinclis ſe periſſe rata.
Fulgurat hinc cælo, & ſtellas dum Borgia ſacrat,
Felices lacrymæ, voſque pericla, canit.

SIRIVS.

VT ſubijt ſtellas cælo deuectus Orion,
Poſt Dominum ſidus fertur ad aſtra canis:
Iam non ille furit veſanus, vt ante, latratu,
Nec vomit infenſas igneus ore faces:
Scilicet vt cælo pacatam Borgia frontem
Oſtentat; placidè Sirius ardet, amat.

ARGO.

PRima truci ſpreuit luctantes æquore ventos
Argo, nec metuit turgida fata ratis:
Auriferum reddit pretioſa pericula vellus:
Ignotumque placet carpere mortis iter
Spes tua ſic tumidas fortunæ pertulit iras,
Borgia, ſic portus appulit aſtrigeros.

CHIRON.

SEmiuir in ſyluis Chiron effingit Achillem:
Dat procul humanis cętibus eſſe virum.
Rara ducis tanti deuexit ad aſtra magiſtrum
Virtus, par venit laudis vtrique decus.
Borgia cum Reges dictis componat, & orbem,
Præmia quæ referet? Sidera cuncta feret.

ARA.

PVlchrior aſtrigera defulgurat Ara fauilla,
Et geminat flammas igne comata ſacro:
Iupiter hanc ſtatuit poſt impia bella Gigantum,
Teſtis, vt æterni fœderis vna foret.
Nunc vbi ſecurus belli deuoluitur Axis,
Atlanti, per quem tutior, Ara nitet.

Ser-

SERPENS AESCVLAPII.

AVreis enodans obliqua volumina ſpiris
  Serpens, obſequijs officioſus adeſt:
Vtque haurit propior, partit quod Borgia, lumen,
  Ex illo veteres integrat exuuias.
Ante mihi fuerat vis, inquit, nulla medendi:
  Hippolytos vmbris nunc reuocare queam.

CORONA ARIADNÆ.

INtulit vt ſtellis ſpectandam Borgia frontem,
  Atque humero impauidum ſtante pependit onus,
Aſtrigeris pulchrè gemmis variata corona
  Venit Atlantiacæ frontis obire iubar:
Erubuit ſed enim ſertum Minoidis impar,
  Cui toto cælum cingeret orbe caput.

ERIDANVS SIVE PHAETHON.

SI fueras rutilæ ſubnixus Borgia moli,
  Cum dubio Phaethon axe regebat equos;
Non ille incenſam curru deiectus in vrnam,
  Eridani lacrymis reſtituiſset aquas:
Sed pia caſurum ſtatuiſſet dextera, & iſſet
  Tutior, & mediam doctus inire viam.

Del-

DELTA.

TErgemino Triquetram depingens ſidere Delta
Trinacriam, et Nili quam ferit vnda plagam,
Si te pertentant melioris munera lucis,
Auguſtæ Triadis dein ſimulacra feras.
Scilicet aſſiduas figet tibi Borgia luces,
Stella nec Atlantem carior vlla premet.

PEGASVS.

ALiger ignotos ſtellarum Pegaſus orbes
Excuſſo præceps Bellerophonte, ſubit:
Debuit Iſthmiacus volui Dux æthere, quem non
Virtus, non verax gloria in aſtra tulit.
Borgia Te quærit ſonipes, Te poplite prono
Submiſſuſque vocat; tutior ibis, eas.

DELPHIN.

EDocet humanos pelagi fera Bellua mores:
Nauitæ opes rapiunt, hæc pia præſtat opem;
Nam niſi Delphinus dorſo excepiſset; Arion
Præda, & ludibrium naufragus iſſet aquis;
Hac pietate rudes ornauit ſidere ſquamas,
Vt tua collucet, Borgia, par pietas.

Lyra

L Y R A.

NOn hæc auritas iactat traxiſſe ſequaci
 Horrore, & rupes, & nemorum populos,
Non flexiſſe truces numquam exorabilis Orci
 Leges, non tractam prædicat Euridicen;
Borgia, quod dignè doceat modo ſidera laudes
 Illa tuas, ſatis hoc nobilitata tumet.

Quamquam tot carminibus animati parietes abundè Diui laudes eloquerentur, habita adhuc ſunt eadem in aula Panegyrica Oratio, & Heroicum carmen à duobus noſtræ Societatis Rhetoribus; altera item oratio, & Poema ab humaniorum literarum auditoribus, Procerum Ciuium, & literatorum Patrum frequentia, atque plauſu excepta.

OR-

ORNATVS

IN EXTIMA

ÆDIFICII MOLE.

ERigitur ſuperbo vertice in regali Vrbis via Collegij Panormitani ædificium octoginta fere cubitos; frontem explicat bis centum, & viginti palmos latam; ordines feneſtrarum quatuor eleganti proportione, & ſtructura diſponit; latera ampla robuſtis pilis, ſtylobatiſque operoſo è lapide communit; ſublime caput immenſa coronide, venuſtaque exornat; triumphatiſque iam viginti luſtris, cum æternitate luctari ſe poſse non diffidit. Obruit operis pulchritudinem maieſtas molis grauis, & venerationis conciliatrix; atque hæc aſpectu pulchrè illinito, verticem ſericis intextis floribus ſibi compſit; latera inde, & pilas, & ſtylobatas, & productas per medios ordines faſcias lapideas, feneſtrarumque apices, & ambitus omnes ſericis item carbaſis venuſto flore conſpicuis conueſtiuit.

Tabellis præterea non languido animatis colore, radioſiſque argento Diui laudes nunc expreſſas inſignibus picturatis; nunc depromptas vberi carmine latè diuulgabat. Eadem cæleſtis Atlantis allegoria in obſequij obtentum: reliqua illi ſidera, & nobiliores Zodiaci ignes feneſtris expoſitos produxit. Principe loco conſpiciebatur Diui imago æmulantis artis beneficio ad inuidiã Naturę ſpirabili animo donata, cui ſuberat aureis exarata caracteribus, innixaque ſuper ampla ædificij ianua inſcriptio.

DIVO FRANCISCO BORGIÆ

Duci olim Gandiæ, Hiſpaniarum Magnati,
Carolo V. Imperatori
Generis, & conſiliorum cognatione intimo,
In Societate Ieſu
Sublimi animi demiſsione
Ad ſupremum Ordinis Regimen euecto,
Virtutum, & nobilium hoc Artium
Athenaeum
In obſequium, & venerationem
Siderum honores inducit;
Contemptorique Terrarum, & Fortunæ Orbis
Cœleſtes Orbes imponit.

Viſebantur inde læua,dextraque expoſita feneſtris inſignia, & Odæ hoc ordine.

AQVILA.

FErocem indole, obluctatam Draconibus, victricemque Aquilam in picturato inligni eduximus. Refert illa Auſtriacã Aquilam generoſam, & victorijs aſsuetam. Nos conuerſo ad Atlantem Borgiam ſermone, Auſtriadum potentiam ſub eius auſpicijs, & tutela dominaturam latè autumauimus ſic:

Per Te victis dominabitur.

In ſubiecta Oda eadem cæleſtis Aquila Auſtriacam ſe facit, atque poſthabito Ioue, fulmina Borgio Atlanti ſanguinis Auſtriaci gloria erecto miniſtraturam ſe promittit in hoſtium auguſtæ domus exitium.

AQVILA

Auſtriadum virtute in cælum euecta.

Ode.

ALes nota Draconibus,
Præſes fulmineæ Martia Regiæ,
Et Regina auium vocor;
Maiori at decorum tollor adorea:
Quòd me belligerum genus
Ducat terribili Marte ſatellitem:
Virtus Auſtriadum inclyta,
Inuicta, armipotens, & domina Imperi,
Formidata Boryſteni.
Virtute Auſtriadum ſideribus feror;
Et me Cæſareus decor
Auges conſpicuo, Borgia, fulgure;
Iam poſthac Tibi fulmina
Atlanti referam, poſthabito Ioue;
Vindex Auſtriacæ Domus
Hoſtes fulminibus diſijcies pijs.

SIDVS MEDVSÆ.

MEduſæ aſpectus horridus crinibus anguineis non erat exponendus ea in pompa, quæ non alium ſtuporem præter quam comitem lætitiæ, & admirationis inſpirare poterat. Pro inſigni itaque pulchrius corpus ſeligere placuit. Phœnicem raram auium gloriam tulimus, ab aſpectu ſolis rediuiuum, attollentemque ſeſe vitali è cinere cum lemmate:

Hauritque è funere vitam.

Hinc alluſimus Borgiam è cinere Iſabellæ Hiſpaniarum Reginæ, ſolis Heſperiæ, ſed pallentis in occaſu, meliori vita donatum. Atque vt Atlas Mauritanus ab aſpectu Meduſæ creuit in montem, feliciori modo Franciſcus Borgia ab aſpectu exanimæ venuſtatis in cæleſtem Atlantem canitur erectus. Sidus verò Meduſæ noui huiuſce Atlantis oculis illuſtratum, quem alium aſpectum mitiorem ſumeret in cælo, niſi Iſabellæ? ſic namque acceptæ lucis beneficium fœneratori ſuo rependiſſe officioſè videbatur.

SIDVS MEDVSÆ

Induit mitiorem aſpectum.

Ode.

QVid retrò timidum fuga
Greſſum corripiens, lumina dimoues
Noſtris territa vultibus?
Aude: Gorgonea terrificum coma
Impune hìc oculis caput
Inuictis ferias funeris inſcium;
Iam non amplius induet
Horrens Caucaſei viſcera marmoris,
Qui me reſpicit obuiam.
Vt me ſidereo Borgia lumine
Luſtrauit nimius Polo
Atlas, ſtelligeris irradio comis,
Inſigne vt rutilat decus
Reginę Heſperiæ, tangere quæ dedit
Atlanti æthera Borgio,
Obiectuque ſui viuere funeris.

SIDVS HERCVLIS.

SIdus hoc incenſum obſequij ſtudio erga Borgiam, poſthac Borgiũ vocari amat;& ſatis fuiſſe Herculi exiſtimat: quod ſuo de nomine inuictæ fortitudinis Viros appellari Herculeos audiat, nomen ſideribus imponere, Herculis virtutẽ prætergredi ſublimiùs; Borgio verum Atlanti non inuidioſum fore, vt pote de ſideribus bene merenti. Inſigne expoſitum clauam Herculis terrorem ferarum pendentem è lauro, iacenteſque ſubter perempti leonis eſuuias intuentibus offerebat; è lauri frondibus hæc deſuper verba in Borgiæ fortitudinis commendationem legebantur:

Plus adhuc poterat.

Domare videlicet tum animi, tum fortunæ impetus vehementiores. Oda ſtellam Herculem alloquutam inducit hoc modo.

Ambit vocari ſidus Borgium.

Ode

SIt laus non tenuis tibi,
Quòd clarum ducibus feceris, Hercules,
Nomen fortibus: indere
Nomen ſideribus, gloria celſior
Atlanti pateat nouo.
Non id diſſimulem. dicite Borgium
Me ſidus; vetus exuam
Fulgur: ſanguineis exuuias iubis
Regalis domitæ feræ,
Et clauæ rutilum deijciam decus;
Claro ſyrmate Borgiæ
Scintillare iuuat, purpureæ iubar,
Cui circum radiat crucis.
An non magnanimo fortior Hercule,
Dum turbas animi domat,
Quam ſi Mænalias, & Nemees feras?

HAnc ipſam ſpicam ſtellis redimitam in inſigne protulimus. Subiecti pulchra in tabella flores, erecta in eius ſplendoris admirationem fronte, hæc loqui videbantur:

Das epulis accumbere Diuum.

Quaſi cauſam non petitam, ſed miniſtratam ab inuidia depromerent, cur illa ſiderum honore in cælo præ cæteris terræ alumnis inſigniretur. Sed & cæleſtis ſpica non alia ſplẽdoris ſui merita iactat, niſi quod delicias diuinas Borgiæ miniſtrauerit, eo illius gaudio, vt in conſpectu latentis ſub ſpicæ candore ſolis cætera omnia obliuiſceretur. atque in Oda ſic ipſa ſtella verba facit.

SPICA VIRGINIS

Superbit, quòd Euchariſticas delicias Borgiæ ſuffecerit.

Ode.

VMbrant, & Cereris mihi
Spicæ ſpes ſegetum, ſideream comam:
Me ſtellæ in thiaſos euocant,
Quòd flauæ Cereris munus ab vberi
Telluris gremio pia
Cultrix non modicis inde labori bus
Fractum, ſedula fecerim
Vitæ præſidium, non humilem dapem.
Maior ſed mihi gloria
Peruadit cupidum pectus, vt omnium
Laudes vnica prouocem:
A me delicias Borgia demetit,
Cum nectar ſuperum pio
Sub candore tegam; tum rapitur celer
Arcani illicio Dei,
Oblitus ſuperi cælifer ætheris.

CYCNVS.

CYcnus, qui Phaetontis casũ ad Eridani ripas lamentatus,per pias lacrymas in cælum adnauit, hæſitque ſtellis; nobiliorem nunc ſumit carminis materiam, ſeque Borgij candoris laudatorem ſimul, & imaginem cęlo ſuſpenſàm futurum pollicetur. Pingitur itaque in inſigni aliger volucrum vates niueus colore, cantanti ſimilis cum carmine:

Sublimemque feram ad ſidera.

Oda hæc.

CYCNVS

Canit ſimilem ſibi Borgiæ candorem.

Ode.

QVondam carminis artifex,
Alatum Eridani delicium, decus
Syluarum, aligeri chori
Orpheus, non timidus funeris inuidi,
Fleui præcipitem Polo,
Auditumque Getis, & Scythico mari
Caſum, cum Phaeton minor
Bigarum imperio corruit auijs
Latè raptus equis. piæ
Me claris lacrymæ ſideribus vehunt.
Lucis nunc ego conſcium
Primæ carminibus non ſolitis, Atlas,
Candorem doceam tuum
Stellas, cum teretes inſtituunt choros.
Et cantu, & niuea parem
Candorem referam Cycnus imagine.

BOOTES.

BOote currus ſideribus coruſcus volubiles ſibi rotas, temonemque aureum à coloribus mutuatus antiquiſſima Borgiæ nobilitatis inſignia ſuper impoſita, Regum coronas, Pontificum diademata, Martiales galeas, lauros, faſces, tiaraſque innumeras vectabat, & quidquid è ſplendido Fortunæ ærario educi ad gloriæ oſtentationem poterat. Lemma ſic:

Securus ab occaſu.

Atque indicabat tantæ nobilitatis ſplendorem, ſufficiente præcipuè radios Franciſco, numquam in vmbras dilapſurum. Inde ſubiecta oda hæc.

BOOTES

Vehit curru Borgiæ nobilitatis Inſignia.

Ode.

PIgræ non patiens moræ,
Iuſtis, en columen ſtelliferi globi,
Atlas, obſequijs feror.
Immenſæ titubans pondere ſub graui
Molis, vix famulis vehi,
Vrgerue poteſt plauſtrum Aquilonibus.
Palmarum ſegetem vehit,
Victrices trabeas, belligerum & decus
Lauros, quas Tibi Borgia
Virtus egregio ſtemmate protulit.
Tu non degener additis
Maiores geminas, prægrediens Auos.
Spretas inueho purpuras,
Sceptrorumque micans pondus, & aurea
Frontis præmia; territus,
Ni dorſo regeres, deficeret Polus.

CEleriorem ab ambitionis latratu Borgiæ fugam in fugiente Lepore eſpreſſimus. Cæleſtis Lepus ſtellis pulchrè variatus ab Orionis cane fugitiuus adiuuante colore editus eſt cum lemmate:

Honores ocyor.

Oda canit ſidereum leporem, relicto veteri nomine, in illuſtre monumentum Borgianæ ab honoribus fugæ commigraſſe, grati animi ergo, quòd Borgia, vbi frontem ſideribus inſeruit, infeſti, inſectantiſque canis iram ſedauerit.

LEPVS.

Borgiana ab honoribus fuga vocari decernit.

Ode.

E Terris celer, & vagus
In campos fugio ſidereos Lepus;
Sed me gramina ſiderum
Tondentem, hic etiam ludibrium metus
Per cælum rabido canis
Latratu enſiferi terret Orionis.
Auritus, leuipes timor
Nuſquam non pauido præripior gradu,
Qualis tu nitidas fugis
Vmbras, & cupidam, Borgia, purpuram.
Nunc ex Imperio tua
Dicar ſideribus nobilior fuga.
Auratis vbi Borgia
Frontem ſideribus ſubdis Olympifer,
Iram compoſuit canis;
Nec ſpargor gelidis ipſe timoribus.

CHAMÆLEON.

DEpictus eſt ad figurandam omnigenam Borgiæ charitatem verſicolor Chamæleon, qui ſoli expoſitus tot ſubit aſpectus, quot induere ſolet pulcherrima Iris colores. Ad Borgiam omnibus diffuſum, omniumque ſibi calamitates ſuſcipientem inſcripta deſuper verba referebantur:

Nec vnquam ille ſuus.

Amat, & hoc ſidus deponere feræ, & nomen, & aſpectum, atque multiformis, hoc eſt Borgianæ charitatis, & nomine, & aſpectu pulchrius renidere. Eius vota ſic Oda exponit.

CHAMÆLEON.

In Multiformem Borgiæ charitatem

Ode.

ET me dedecet, aurea
Poſtquam condecorat ſidera Borgius,
Signari digito feram.
Iam tum promerui nomina ſiderum
Stellarum æmulus agminis;
Idemque, & varius, cum didici nouas
Formas promere Protei
Inſtar Carpathij, verſicolor decus
Syluarum. Similis mihi
Non vno rutilat fulgure charitas;
Vultuque exhibet omnia;
Irrorat lacrymis Iride pulchrior,
Si plectit miſeros dolor;
Si Pax exhilarat, nectare depluit.
Syluis ante Chamæleon
Dicar ſideribus Borgia charitas.

SEPTEM TRIONES.

PVlchriùs hæ ſtellę horrida hyeme afful-gent: nos illas ſuſcepimus inſignem materiam, alluſuri ad Clementis X. aſtra gentilitia, quæ ætatis ſuæ hyeme ditius è vaticano cælo reſplendent; lumenque Franciſco Borgiæ nouum impertiunt, cũ ſuperis adſcribunt. Dedimus itaque diuiti in tabella ſeptē aſtra ſaturata auro, & ſplendore pulchriori; pendebant aere nubes obſcuræ, & grauidæ, arbores nonnullæ ſub niue laborabant. Lemma hoc impoſitum:

Extrema clarius hyeme.

In Oda eædem ſtellæ Vrſæ nomen, & vultum commutare, atque Alteriæ dici concupiſcunt.

VRSA MINOR

Sidera ſua in aſtra commutat Clementis X.

Ode.

SEd ſeptem geminæ faces,
Quas pallens dubio ſuſpicit æquore
Pinus, cum tumidas timet
Iras, Idaliјs excita montibus,
Formoſæ malè conſona
Ponunt ſidereis nomina vultibus.
Informes Erymanthias
Promat ſylua feras, quid nemorum metum
Lætis terrificam choris
Vrſam conſerimus? non ſatis arduum
Ad cælum eſt iter, inquiunt,
Armamus trucibus limina belluis!
Iam nos Alterias vocent
Stellas: Alterius cæliferum ſacris
CLEMENS auget honoribus
Iam dudum emeritum ſidera Borgiam.

SAGITTA.

FLammea cuſpide, coruſcantibuſque pennis ſagittam in aſtra tendentem depingi iuſſimus, illius Aceſtæ ſimilem, quæ volando exarſit, de qua Virg. Æn. 5. cecinit.

Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo,
Signauitque viam flammis.

Noſtra vero ardet imitando Franciſci Borgiæ incenſa in cælum vota, cauſamque ſuſceptæ flammæ inſcripta deſuper verba patefaciebant:

Aſtriſque propinquior.

Ode quoque cæleſtem illam ſagittam, non niſi emiſſum è Borgiæ pectore iaculum feruentius eſse, detentumque cælo à ſideribus meditatur hunc in modum.

SAGITTA

Pia Borgiæ in cælum vota.

Ode.

NE vos terreat aſperum
Nomen: lethiferam non vibro cuſpidē,
Nec ſum vulneris artifex,
Sed cordis medeor vulnera ſaucij;
Et pro ſanguinis imbribus
Ex alis hyemes luminis influunt.
E cordis pharetra celer,
Et telo ſimilis pennigero, viam
Signans purpurea face
Ibam Cælitibus: ſidera tum meis
Norunt feruida amoribus,
Quantum flammifero Borgia peruium
Telo poſset in æthera;
Et me cæruleo perpetuùm tholo
Fixere. Hinc *radijs recens*
Crinitum innocuis ſidus inardeo.

ORION.

VEnatorem canem poſt fugacem prædam immiſimus: ſtuduit namque venationi Orion, Siriumque ſuum comitem, auxiliumque venationis ſecum in cælum deduxit. Supra legebantur hæc verba:

Nulla quies donec potiatur.

Atque ijs, Franciſci Borgiæ animum quietis expertem, donec venandis ad eorum ſalutem animis, è criminum laqueis in libertatem vindicauerit, ſignificauimus. Ode ſuppoſita Orionem nobiliori flamma incenſum exponit, ea videlicet, qua ille in animorum ſalutem conflagrabat.

ORION.

Incenditur Borgio ardore Venandi ad Chriſtum animos.

Ode.

FErales quis Orionis
Flammas? quis pluuij fulgura bàltei
Affulgens hebetat nitor?
Iam non imbrifero turbine nubilus
Aegęo furit æquori,
Infeſtus trepidis, cum mare detonat,
Nautis, vt voluit prius.
Venator rapidus montiuagæ ſequax,
Et certus domitor feræ
Qui quondam viguit, nunc melius ſubit
Venandi ſtudium, piè
Quo flagrauit Atlas Borgius inſequi
Non ceruas, facilem capi
Prædam, ſed rabidis Tigribus, & pares
Getulis animos feris:
Hoc ardore micat vultus Orionis.

CAPELLA.

ARgenteo vellere nobilitatam, multoque ornatam ſidere capellam indulgentem hœdis, conuerſoque ad illos vultu filiorum conſcio pinximus. Lemma deſuper his verbis:

Nouitque ſuos, & alit.

Benigniorem Borgiæ curam in regendis populis inibi expreſſam vides: nouerat quippe ſuos, ſed vt regeret, atque ditaret, non vt diteſceret ipſe. Oda producit ſideream capellam, quæ quoniam Atlantis Borgiæ radijs inauratur, non inuidere ſplendorem nobilioribus Planetis iactat, gregale nomen abnuit, atque vna dici affectat curarum Borgiæ in populos benignioris.

CAPELLA.

Ambit eſse ex nobili grege curarum Borgiæ.

Ode.

PVlchris non ego iam tuis
Poſtbac inuideam, Delia, cornibus;
Vret nec tua me, Leo,
Flagrans auricomis cæſaries iubis.
Auratis mihi vellera
Effuſus radijs æthere proluit
Atlas. Iam mibi cornua
Non ſueto rutilant ebria lumine.
Sed iam concolor aureo
Sumamus iubari nomen, & Heſperus
Dum cogit nitidum gregem,
Non me lanigeris enumeret capris.
Dicar nobilis, & vigil
Curarum vna, quibus Borgia deditos
Complexus populos fouet
Dulci ſepoſito Principis otio.

Tertius, & quartus Feneſtrarum Ordo Epigrammata, & Odas expoſuere ſic.

EPIGRAMMATA.

L V N A.

STellarum Regina, ſoror Phæbi, arbitra noctis
Fraternum reparo poſt nigra fata decus:
Sæpe ſed inficior tenebris: nuſquam aurea floret
Aſſiduo integritas lumine: deficio.
Borgia ſi me reſpicias, tum cornua pleno
Aeternabo die, ſolis imago noui.

V E N V S.

CErnitis hìc Venerem caſta ſed luce comatam:
Non eſt, vt fuerat, dulcis amaror amor,
Blanda lues, lætuſque dolor, pulchrumque venenum,
Ridens tempeſtas, mitis & ore furor.
Si Venus è cælo flagraret vt ante; ſub amplum
Abnueret dorſo Borgius ire globum.

MER-

MERCVRIVS.

CEdit Atlantiaco iubari Cyllenia virtus;
Maiorem domino Te canit alma chelys:
Mercurius velox furtis, ſed Borgius, inquit,
Muneribus; diues par fluit eloquium:
Ille latro egregius; maior ſed Borgia, furi
Ad laudes citharam qui rapuiſſe poteſt.

M A R S.

VIcit amor Venerem, metuenda potentia, paruus:
Bellorumque Venus vicit iniqua Ducem :
Borgia victores Martis proſtrauit vtroſque;
Quis ſimul, & Martem perdomuiſſe neget?
En venit in ſpolium Mauors, prædamque ſubactam,
Rarumque ex humero pendet Atlantis onus.

S O L.

VIdit vt aurato cæli de cardine Titan,
Borgia, non pauidos Te ſubiiſſe Polos,
Purpureis famulos radijs Tibi frontis honores
Texuit, atque tuo è lumine creuit opus;
Tum flammæ, dixit, vectoribus ite ſub vndas:
Longior exibit mox ab Atlante dies.

Iu-

IVPITER.

ARduus vt ſubijt ſtellatos Borgius orbes
Vertice fulmineas prægrediente minas,
Iupiter inficiens ſceptrum pallore, quis, inquit,
Noſtra giganteus proterit aſtra furor?
Euocat in mentem dubius fera bella Gigantum:
Hic tamen ingeminat, non rapit aſtra, Gigas.

SATVRNVS.

NVlla ſenem ſaturant genitorem ſecla rapacem:
Omnia quæ peperit, paſcitur vna fames.
Non Saturne ſator rerum, quas rodis edaci
Dente; ſatur dici nec potes, vmbra vorax.
Deuoret at rabido quæcumque hinc tempore; victrix
Deuorat æternum Borgia fama ſenem.

VIA LACTEA.

LActea ſtrata via eſt cælo. Non obſita ſemper
Curarum horreſcit ſemita ſeminibus.
Qui ſublimis init faſtigia ſentibus aſpra,
Dein facili ſparſum ſidere calcat iter.
I iam celſus Atlas, veſtit Tibi lilia: frontis
Imbre tuæ paſſim lactea facta via eſt.

Ar-

ARCTVRVS.

VIx vnquam noſtros proſpexit nauita vultus,
Quin lacrymis fluctus auxerit æquoreos:
Scilicet obruimus titubantes æquore puppes
Imbribus; in pluuias labitur Axis aquas.
Borgia nunc torquet ſphæras, ac temperat aſtra;
Ite rates: omnis decidit Axe rigor.

PLEIADES.

HVc ſterope, tuque Alcyone, et tu pulchra Celęno,
Et Maia, & Merope, Taygeteque comes,
Huc Electra citis adiuncta ſororibus, alti
Atlantis ſoboles deproperate gradum:
Deponit molem genitor, releuate lubentes;
Aſſurgit cælo Borgia maior Atlas.

HYDRA.

HYdra ferax capitis ramoſi, turba ferarum,
Lernææ terror ſola paludis eram:
Herculeam multo decoraui ſanguine dextram,
Herculea eſt merces procubuiſſe manu;
Hinc nitidis radio ſtellis, frontemque corono:
Si me viciſſes Borgia, quanta forem!

Cor-

CORVVS.

Candidior quondam niueos candore columbos
Vincebam, pennis nunc tegor vmbriferis;
Vmbris inficior, caſtæ quod lucis amanti,
Impuram dominam mos aperire fuit;
Sed tandem inſertor ſtellis: ſunt præmia tarda.
Seras ſub ſtellas Borgius iuit Atlas.

ARIES.

Borgiæ paupertatis ſplendore diteſcit.

Ode.

NOn ſic petitæ Colchidos aurea
Splendent Pelaſgo vellera Iaſoni;
Non ſic imaginoſo in arcu
Signiferis Aries comatus
Ardet pyropis; vt chlamys aſpera,
Tumensque villis candet Atlantico
In Borgia, poſt terga iactis
Syrmate purpureo, & tiaris.
Cæleſtis Atlas ſplendida regiæ
Seu vincla mentis, ſeu fuerint leuis
Vertigo frontis, celſiori
Abripuit capiti coronas,
Regnique curas, & grauidum procul
Abiecit aurum, & fulgur inutile
Non ambienti ſceptrum, vt aſtra
Pondere ſuſciperet ſolutus.
Zona reclinis ſiderea iubar
Veſtit decorum, ſeque Aries pia
In luce deuoluit, beatis
Ditior à radijs futurus,
Vnde illigata Pauperies coma
Non indecenter ſqualida fulgurat:
Quin Borgiana ambit nouatus
Pauperies Aries vocari.

Concedit vices auito Borgij ſtemmatis Tauro.

Ode.

ABſcondat æther fulguris impij
Vultum dicandus ſideribus ſacris:
Non ille ſtellas Taurus inter
Signifer Anteeat gregales,
Qui ſub doloſa blandus imagine
Fruſtra vocantem præſidium patris
Abduxit Europen per vndas
Adriaci pauidam tumultus.
Illum frementi turbine debuit
Euerberatum mergere fluctibus
Vindex pudoris pontus, at non
Par maculæ fuerat luendæ.
Sic nos profanum, ſic patimur faces
Fædare dudum virgineas bouem
Flammis vouendum? ſed cruoris
Inficeret quoque labe flammas.
An non ſuperna dignior area
Taurus niuali vellere fulgidus,
Qui clara Borgij trecentas
Stemmata poſt ſegetes coronat.
Biſſena claræ compleat orbitæ
Iam ſigna fauſtus, lætior hunc ducem
Cognoſcat annus, hunc feracis
Aſpiciat ſoboles Aprilis.

GEMINI.

In Borgiæ fidem, & ſpem.

Ode.

INtaminatæ Borgia dum iubar
Frontis propinquo diuidit ætheri
Inſuetus Atlas, Axe pendet
Concita in obſequium curuli
Ledæa proles, Oebalium decus,
Hinc Caſtor, hinc qui funeris inſcius
Fraterna Pollux mutuatis
Sideribus toties redemit
Non vſitato funera fœdere.
Redibat olim cardine poſt pares
Alternus Eoo vices, &
Se reducem referebat Orbi
Caſtor, lateret cum profugus freto
Pollux Ibero, fratris amantior.
At nunc vterque affectat vltro
Perpetuùm latuiſſe ſacri
In luce Atlantis. cedimus, inquiunt,
Ex orbe, noſtras ſuſcipiant vices
Tinctura nunquam Spes rubentem
Cæſariem pelago, & tenebris
Offuſa claris ſplendidior Fides,
Et maior aſtris. has geminas faces
Dat Borgia. has velis benignas
Nauita carminibus ſalutet.

In ferrei flagri ſtellam vertitur Borgio ſanguine coruſcam: Ode.

MOnſtri feracem, tergeminum metum,
Aggreſſus Hydram non minor Hercules
Terror ferarum, pullulantis
Cum noua demeteret coruſco
Lernæa ferro germina Belluæ,
Nouerca Iuno, fæta furoribus
Nouis, doloſa fertur ira
Tardigradum ſtimulaſſe Cancrum;
Vt clam tenaci terribilem Ducem
Plantis inhærens forcipe ſiſteret.
Sed ille dat pœnas eodem
Quem temerat pede fractus audax,
Simulque ſumit præmia triſtibus
Locatus aſtris. erubuit Polus;
Vertitque Titan retro bigas;
Nobilis erubuit vocari
Et ſtella cancer. ferrea Borgio
Emerſa ſplendent ſidera ſanguine,
Cum terga flagris ſæuus in ſe
Dilacerat, perimens Auerni
Victor Ceraſtas vulneribus ſuis.
Tum terga ſtellis erudijt pia.
Quid ni cruenti ſtella flagri
Occupet aſtrigeros honores?

Leo

Splendidum triumphatæ Ambitionis ſpolium.

Ode.

COmit iubatos ſideribus Leo
Superbus armos, & numerum gregis
Auget micantis, quippe ſtratus
Herculeam decorauit ante
Non dum ferentem prælia dexteram.
Quas ille ferret laureolas, trucis
Si victor Alcidæ rediſſet
Indomitus, dominuſque campi?
Viuit decora cæde perennior;
Victus ſuperbit, vulnere clarior;
Caſuque maior ſurgit aſtris,
Arcadia metibus ſoluta.
Sis ominoſus ſignifer hinc Leo
Ibero Atlanti: nobilius tibi
Mox deſtinatur munus: altis
Sideribus ſpolium renide,
Non iam feroci, quem Marathon canit
Erepta Tauri fraudibus, Herculi;
Sed noſtro Atlanti, qui ſubacta
Tot domuit generoſus ira
Feras ſuperbas, quot rabido ſinu
Veſana nutrit Regia Cæſarum;
Fuga triumphauit, prementes
Fortis in Ambitionis aſtus.

VIRGO.

Redijt in terras Borgiæ ſub auſpicijs. Ode.

ERepta terris, cum dubium grauis
Concuſsit Orbem degener aureæ
Aetas, celer conſcendi in aſtra
Remigibus reditura nunquam
Aſtræa pennis. nam Pelopeius
Qui retro vertit flammiferos furor
Currus ad auroram timentem,
Sole ſcelus fugiente dirum,
Et me fugauit. Torrida quis Patri,
Quis membra nati perferet in dapes
Venire deflendas, parente
Viſceribus tumulante prolem?
Fugi rigentes cuſpide ferrea
Syluas , ruentem in prælia Concanum
Fugi minacem. ignota vultu
Rarum aliquando tuam volatum
Libraui in aulam, Borgia, moribus
Cum temperatis imperi imaginem
Dabas beati, cum ſerenæ
Alma Fides operoſa Paci
Cudebat auro ſecla adamatina.
Recepta cælo nunc iterum, Tibi
Inſerta ſtellas complicabo
Frontis onus ſimul & coronam.

Borgiam virtutem impoſitis æquat ſideribus.

Ode.

PAres vt horas, temporis arbitra,
Somno, & labori pendula diuidam,
Suſpendor aſtris Libra: pœnas
Flagitijs meritas bilance
Sæua, decoræ & præmia metior
Ferenda vitæ. Si ſequitur rotam
Abreptus Ixion fugacem, aut
Aeolides ſcopulum fatigat
Noto relapſum vertice Siſyphus,
Reſpondet atris pæna furoribus.
Sed cum tuam librare vitam
Borgia ſuſciperem decentem;
Virtutis vnam pondere ſub graui
Vidi ruentem, deſuper alteram
In aſtra lancem tolli, & aſtra
Nunc ſociam retinent nitoris.
Aequare factis præmia dein labor
Exortus ingens. quæ meritis ſatis
Soluemus vnquam dona vaſtis,
Quin ruerint grauiùs merentis
Honeſta vitæ pondera præmijs
Largè refuſis? ambitus hinc Tibi
Totus micantis fertur Orbis
Emeritis humeris habendus.

Scor-

Vindex iactatoris Orionis celebrat alienum à laudibus Borgiæ ſilentium:

Ode.

IAm nulla vultum Bellua priſtinum
Afflata præfert lumine Borgij
Atlantis: algent æſtuantis
Ira Leonis, & ira Tauri;
Et iam venenum proditor abijcit
Formidoloſa Scorpius impiger
Ferire cauda: iam comato
Brachia luxuriant in auro:
Iamque ardet orbis ſigniferi decus,
Mitemque vultum ſumere conflagrat,
Et mite nomen. ille, caſtæ
Imperium properans Dianæ,
Quondam ſupremas ſumpſit Orione
Pœnas, quòd altis laudibus æthera
Se ferre iactator ſupra, nec
Pertimuit celeris potentem
Diuam ſagittæ. cum fuerit ferox
Vltor ſuperbæ laudis, amauerit
Et nunc abhorrentem ſequaci
Laude animum celebrare Atlantis.
Studebat vmbris, & tacitæ ſinu
Latere noctis Borgia, ſed nequit
Latere ſplendor; laudis illum
Scorpius eloquitur ſilentem.

Sa-

Petit ob doctrinæ decus exuere biformem Belluæ imaginem.

Ode.

SÆuos ferarum ponere ſemifer
Mores docebam magnanimæ ſator
Virtutis, Heroeſque claros
Erudij celebris magiſter:
Teſtis reducti ſub penetralibus
Nutritus antri, pronior in truces
Belli fragores, ſupplicantem
Qui gemitu Priamum recepit
Emaci Achilles, fortior editus
Ab arte noſtra. non ego gloriæ
Hæc narro lucraturus auram,
Aut redimens auidus fugacis
Exacta famæ tempora laudibus
Parum modeſtis. Borgia Theſſalo
Scientior Chirone, quanto
Arte rudem anteeo peritus
Chiron Achillem; Borgia penſiles
Ab ore Reges, & quibus aurei
Ardent tiaræ, prouidenti
Gregorioſque, Pioſque mente
Multus trahebas; ſi meret altior
Doctrina quidquam; da, precor, exuam
Biforme corpus; da beatas
Ore faces imitante ſurgam.

Ingenioſus olim, in Borgiæ nunc ingenium ſe vertit.

Ode.

OLim Canopi conſcius accola
Latentis vndæ murmura Pan bibi,
Pan ante dictus, quàm timoris
Me mihi diriperet procella.
Vt rupit vndas vertice prodiens
Gigante Typhon, cornua pars mei
Inuita cepit capri, & vndas
Squamea per liquidas natare
Induta piſcem poſtera pars nouo
Flagrauit æſtu; carpere gramina
Cum rupe ſuaderet propinqua
Lanigeri mihi ventris ira.
Pugnabat vno in corpore vis duplex:
Et ipſe diſcors, quam ſequerer, mihi
Luctabar; at pugnæ miſertus
Iupiter indomitę per aſtra
Iuſſit vagari, ſidera me tenent
Sublimem, acuti quòd fueram ingeni.
His acta fatis ſcena. rerum
Hæc ſeries: supereſt, vt alter
Gigas, rotanti Borgia qui Polo
Blanditur Atlas, me beet. hæc ait;
Et pulchriores Borgiani
Induit ingenij fauillas

Aqua-

AQVARIVS.
Borgianis Vrnam lacrymis implet.
Ode.

EN ebrioſos lætitia Iouis
Scyphos, & vrnas nectare turgidas
Euoluit Ægæis bibendas
Piſcibus ætheriæ miniſter
Menſæ, & liquores Iliacus nouos
Puris propinat ſideribus puer.
Haurite dulce nectar, inquit,
Stelligeræ cupidis ſorores
Haurite labris, quale nec aridam
Vnquam calentis proluerit ſitim
Iouis. beatas huc coegi
Delicium lacrymas amoris,
Quas Diuus Atlas ex oculis pio
Liquatus æſtu, compede liberi
Soluebat in morem Caici,
Et pluuiæ ſimiles decembri.
His ille menſæ cæruleæ aſſidens
Conuiua cæli pocula lacrymis
Regum coronabat ſupremo;
His auidos ſitis æſtuantis
Sedabat ignes. I latij Iouis,
Menſæ i profanæ nectar: Aquarius
E Borgiæ dicar fluentis,
E lacrymis fluat vrna pulchris.

PISCES:
Poſtulant Borgio Atlante conſecrari.
Ode.

MEntita quondam corpora deſuper
Rigente ſquama, cum ferus obuiam,
Vaſtuſque proceſsit Typhoeus,
Induimus, tumidumque Piſces
Stupente fluctu nauimus hinc Venus,
Hinc natus Euphratem arcipotens meus,
Abſcondito multùm ſub vndis
Vertice fluctiuagi profundis.
Sic Te per altum Borgia Numinis
Læto ferebas naufragio mare
Immenſum, inacceſſumque menti
Terrigenæ, volet alta quamuis
Viſura nubes, remigium ciens
Vtrumque, & Euris Ocyor, & Noto.
Sæui Tibi Typhonis inſtar,
Tiſiphoneſque fuit ſereno
Timendus ore, atque illecebris ferox
Cupido gratis. hunc celeri fuga
Fallis relictum: & raptus alto
Aſtra ſuper graderis volatu.
Sublimis Atlas ſidera dum ſacras,
Nos innocenti da poſitis face
Fulgere ſquamis, da profanum
Igne tuo renouare vultum.

Ap-

APPARATVS ATRII.

EXcipiebat populorum vndas influentes in Atrium perampla ianua capaci aditu hinc, atque hinc pretioſis periſtromatis eleganter exornato. Atrium in figuram quadratam magnificè per ſinuatos arcus, ſex, & triginta marmoreis ſuper columnis innixos protentum teſtudineatas Porticus ſericis aulæis à vertice ad ſolum, gemino ordine cõueſtierat. Prouocauerãt ſeſe certaturæ eo in Atrio veluti pari in theatro hinc opulentia, hinc ſymmetria, hinc venuſtas, hinc munificentia: & viſæ ſunt oſtentaſſe quantum ipſarum quælibet viribus, & ingenio polleret. Iudice oculo omnes quidem vincebant, & in communem triumphum æmulæ conſpirabant. Illic argẽti opes, & Serum gazę in conſpectum datæ ſupra admirationem; rerum ordo elucebat perſpicuus, augebaturque partium proportione decor, & ſpecies; concors diuerſorum colorum concinnitas conciliato diſcrimine ad oculorum harmoniam pulchrè conſonabat. Telæ quædam ſericæ argenteis, aureiſque luxuriantes ramentis ſi-

nuatæ

nuatæ in aulæis Porticuum purpureis tot reſpondentes arcus imitabantur, quot faſtigiatos, immotoſque intercolumnia ſtatuebant. Columnas non alibi videris ornatiori cultu phaleratas: illæ, velato ſibi argentea coronide primum vertice, exceperant impoſita epiſtylijs vaſa, & candelabra elaborata argento, pulchro flore, cereiſque facibus conſpicua; inde induere intonſa purpureo villo ſerica, ſplendidaſque argento, & fuſili auro faſcias, quæ leni inuolucro alternatim per marmor ad imos ſtylobatas deſcendebant. Ipſi quoque ſtylobatæ pulchriori colore depicti. Sed hæc prætereo; prætereo & intexta auro carbaſa, & incenſa argento funalia cereis flammis coronata, ſingulis media ex arcubus pendentia. vt oculos tum intuentium, ſic nunc ſcriptoris calamum ad ſe rapit ſuperba moles, grandis quidē, & pulcherrima theatri anima.

E nobiliori Atrij proſpectu oſtendebat ſe intrantibus euecta par vaſti montis faſtigio, immenſaque lateribus moles, nihil reliquum nobilis artis laudibus factura. tumere ſpectatorum acclamationibus, conſcia meritorum: ipſaque ſibi plaudere videbatur. tota ſcintillabat argento; ſed minimum id operis

pretium; artifici lõgè elegantia vincebatur. Duplici ordine, Corinthio priùs, inde cõpoſito ſublimis ferebatur, geſtiebatque videri propiùs quoque ſideribus. Eã ſtatutas artium metas impatienti legum luxu, atque licentia prætergreſsam accuſabant: crimini vertebatur, quod erutis ex antiquitatis ſilentio ornamentis, audacius pulchra ſuperbiret. Laborem hìc ego, fruſtrata ſpe laudis omnino deluderem, ſi eius ſpeciem, & elegantiam eliquata ſepia, & atramento depingere aggrederer. quid enim ſudatæ calamo vmbræ ad effingendum illius machinę ſplendorem, & venuſtatem contulerint? quid confecerim, cum eius columnas opere Corinthio elaboratas, laboranteſque ſub ſecuro pondere; paraſtatas, pilaſque erumpente in frondes vertice capillatas, ſtatuas omnes viuas geſtu, & quiddam immortale ſpirantes, Conchas præterea Dracones, Aquilas, Harpyias, Fontes, Coronides delicatè inciſas, & omnia quibus effloreſcit opulentæ artis ornamenta produxerim; ſed commonſtrare ſimul nequeam partium diſpoſitionem, proportionemque occultum pulchritudinis ſpiritum, vnam omnis formæ vitam; quid, inquam, confecerim?

Niſi

Niſi abſtracta, incompoſitaque gigantis cadaueris membra ad immanem ſtuporem proferre? Felicius itaque rediuiua è prælo in oculorum lucem, vt exeat procurabimus.

Eminebat procero ſtatu Diui Franciſci ſimulacrum alta ex Pyramide, quam ambitu moles complectebatur ſuo. Statua Franciscũ offerebat ſacrificali ornatu amictum, attollentemque viuido geſtu Euchariſticam ſphæram orbe cæleſti longè auguſtiorem; & quoniam ſacer Atlas repræſentabatur, cæleſtem ſphæram gerebat, ſed manu, non humero; nempe onus minùs amantiorem premit. radiabat ſtatua, & ſolido fuſa ex argento dicebatur, ſed officiebat exiſtimationi operis magnitudo, & præſtantia, quas ſi materia æquaſset pretij fines tranſilijſset. Dubij hærebant intuentium oculi ambigentes an viueret; viuebat ſane eo in vultu pietas, viuebat artis gloria, ſpirabant membra vigorem; ſi minus viueret, vitam tamen promerebatur immortalem. Inumbrabat Pyramidis ſubiectæ gradus argẽtea ſylua: illic vaſa Corinthijs inuidenda; illic candelabra natiuo ſplendore illuſtriora facibus; illic ſtatuæ po-

pu-

pulo pares; illic decora, & ſupellex innumera; ſed eminebant ſublimius erecta ſupra octo palmos ſex candelabra ex nitido argenro conſpicua: eminebat, & altare argento excuſum, columnis, arcubuſque diſpoſitum, ornatum ſtatuis; artis, & opulentiæ non humile trophæum.

Tegebat erectam molis maieſtatem regia deſuper vmbella: inde circumfuſus amplis lateribus apparatus, purpurea ſericis ex villoſis pompa, diuitibus auro fimbrijs diſtincta, & plurimo ordine à culmine deducta. Reliquæ Atrij facies conquiſitis quoque enituere ornamentis. Feneſtræ omnes, quæ Atrium, & conſpiciendam molem intuebantur, ſericis circum carbaſis læto flore contextis ſeſe ad ornatum compoſuere. medij inter eas expoſiti viſebātur ſub triplici aurei ſtaminis conopeo hinc Clemens X. Pontifex M. hinc Carolus V. de Collegio Panormitano, deque Borgio ſanguine Imperator benemerentiſsimus, hinc Carolus II. Hiſpaniarum Rex, qui in Franciſco generis auget ſplendorem. Occuparunt interiectum quoq; ſpatium pulchro ordine centum ſupra ſexaginta tabellæ ramoſo auro coronatæ, artis

ſpiritu , viuidoque colore plura in ſæcula animatæ. Viuebant in ijs imagines immortalium Societatis Virorum,quorũ alios ſanguis pro triumphali fide profuſus ; alios virtutis inſuetæ fulgor admirabilis ; alios euecta per ſupremas ſcientias doctrina ; alios purpura rubicundior ob repulſam, & Pontificum obſtringente imperio inuitis humeris iniecta;alios tiaræ vna cum Euãgelij lumine ad extremas, ſeiunctaſque terras inuectæ funerum vmbris eripiunt ; oſtentantque maiora rebus humanis decora.

Aderant,& nobiles virtutes ad multũ numerum ſimulacris expreſſæ,non inculto ornatu, radioſæ argento , ſubiectis arcubus circũ diſtributæ , veluti in coronam Diui , cuius victorijs ſæpius ſeſe coronarant. Ordo & aſpectus earum hic.

FAMA.

VIrgo alata, floridoq; vultu auream animanti tubam ſimilis; pede inuicto bellicas haſtas, clypeoſque, proſtrataque arma calcat. Aliger ephebus erigit propiùs trophæa. In baſi hæc.

Teſtem temporis,
Eiuſdemque poſthumam filiam,
Victricem fatorum,
Obliuioſi inimicam ſilentij,
Famam hic cernitis,
Communem virtutis, & infamiæ præconem.
Similis ſed hæret ſtatuæ,
Et muta ſilet;
Franciſcum Borgiam *Atlantem*
Sublimiorem
Aequare laudibus cum nequeat,
Admirabundo veneratur
Silentio.

FIDES.

VElato arcana vultu, coronatoque capite Virginis, & verecundæ Reginæ ſpeciem ferebat. Librum cogitabunda, ſuſpenſoque calamo exaratura videbatur. Hieroglyphicum, erumpentem è corde accenſam faculam exhibebat. In baſi hæc.

Fides loquor, credite:
In tenebris ſplendidè adulta clarum
Hoc faciam:
Sublimi, capacique arcanorum mente
Creuit Atlantem ſupra Borgia;
Didicit quippe à Me non modo imperare
Montibus;
Sed & ſe propiorem cælo in montem tollere,
Tantumque euectus eſt, quantum ſe
Poſſe credidit.

SPES

PRæeunte vultu, dexteram in cælum dirigebat, anhelanti ſimilis. Cernebatur in eius fronte viuidum deſiderium felicitatis non perituræ; neſcires eone magis, an pubeſcenti colore animaretur. Interea contemptore pede terreſtrem globum protenebat. Ales virides agrorum ſpes lilia, & amaranthos gerebat. In baſi hæc.

Spes
Heroicæ ſpecimen virtutis,
Ardui laboris vigor,
Magnæ indolis comes generoſior
Borgiam deſerui nunquam;
Nunquam me ille non præibat,
Ocyor ſuperando, quam ceteri ſperando.
Tantum ſupra contemptæ fortunæ faſtigium
Altior euectus eſt,
Donec cælum humero pertingeret;
Nec aut aſpirare, aut
Sperare poſſet
Vlterius.

Cha-

CHARITAS.

PVrpureo decora vultu charitum Regina exhibebatur, profuſaque ſui vitam admoto vberibus infanti inſtillare; cor emicans flammis, apertumque mann gerere. Ephebus auriga ignei currus dextera habenas, ſiniſtra ingenuam tenet columbam. In baſi hæc.

Charitas
Infantium virtutum Matrona
Cæleſtes primùm heroes educare conſueta,
Et in palæſtra exercere pietatis,
Borgiam, non educandum Alumnum,
Sed æmulum, excepi,
In tirocinio veteranum.
Vt primùm diuino patuit amori, incendium excitauit.
Indoles Atlantica
Totos ſimul humero cæleſtes orbes pertulit,
Nec ponderi proluſit.

IVSTITIA.

INtrepido expreſſa vultu, altera enſem, altera ſeueras manu librat lances, quas hinc impoſitus canis, amicitiæ ſymbolum, hinc vipera, odij imago æquo pondere premebant; illa maior ambobus, ephebum cernit triangulo ludentem prope fontis marginem. In baſi hæc.

Iuſtitia
Populorum conciliatrix
Regnorum columen, & Regum magiſtra
Natum ſub Libra Borgiam
Meum potiore mihi iure vindico.
Rarus illo iuſtior
Imperauit, niſi quod iniurius vixit ſibi:
Eripuit populis ærumnas,
Cęleſtes Atlanti orbes abſtulit
Vaſta virtutum mole,
Et erecta mente ſublimior.

PRVDENTIA.

AVreos crines galea diues auro premebat, quam circum mori frondes in ſertum implicabantur. Dextera Remoram miſſili telo inuolutam, ſiniſtra verò cryſtallum crimina vultus accuſantem ferebat. Cernitur ad illius pedes cornibus ceruus ramoſis. & aliger infans, qui equitans in ſerpente tollit manu relictum ab edacitate tumuli humanum caput. In baſi hæc.

Borgiæ
Frequens ad ſolium adfui
Moderatoris
Particeps curarum Prudentia,
Illum admirata
Celerem munerando, puniendo tardiorem,
Numquam deliberando præcipitem.
In extincto ſeſe inſpectabat vultu:
Et ab Æternitatis ſpeculo, & ſpecula
Immortalia capiebat conſilia;
His artibus ſupra rerum diſcrimina
Atlante maior aſcendit.

TEMPERANTIA.

RIdentem malaciam ſereni animi indicem temperato vultu induerat. Dextera obſtrictum forcipe candens ferrum inimico in fonte reſtinguebat. audiri videbatur aquæ ſtridor infrementis in ignem, colore, ſi minus ſono expreſſus. propiùs perſtringebat taurum leo generoſior. Infans alatus, donatuſque palma domitum Elephantum ducebat mobilem, animatumque triumphum. In baſi hæc.

Si inexpleta temporum libido
In hanc Temperantiæ imaginem
ſæuierit,
Borgiam cernite:
In eo ſuperſtes vincam, & viuam;
Præfert ille vultum nullis obnoxium temporibus,
Hilarem in aduerſis, in ſecundis rebus
Moderatum.
Atlante longè ſerenior
Ne murmur quidem obluctantium
Audiebat curarum.

FORTITVDO.

VIſebatur virili ſupra ſexum aſpectu, Virgo maſculæ virtutis aſtu, obluctata pertinaci labori, columnam ingentem mole è terra ſublimem erigere, veluti in Borgiæ trophæum. infans animoſus non procul hinc leonis iugo inhærens Herculis clauam extollebat. In baſi hæc.

Fortitudo
Indefeſſa Heroum, & Borgiæ comes
Ignoro fortior ne is præcelluerit, cum iras
Irritatæ à ſe per contemptum Fortunæ
Fortiter ſuſtinuit;
An cum eiuſdem allicientis illecebras fugit victor.
Nunquam vultum à periculis
auertit,
Nec labore territus, nec rerũ mole.
Quid ni fortior Atlante audituris
vltrò ſeculis tradetur?

RELIGIO.

MEdia excipitur inter duos ephebos, quorum alter librum ſacris exaratum euangelijs, alter inſcriptę legis tabulas ſuſtentabat. illa thuribulum pio thure vaporatum attollit. Viſebatur & aliger infans, qui conſpicuum templum gereret. interim colludebat ad eius pedes cum Serpente Ciconia. In baſi hæc.

Religio
Regnorum columen
Illa ſum in hoc virtutum theatro,
Per quam Borgia
Legibus venerationem, Regibus præſidia
Conciliabat.
Nihil vnquam non ante exorato
Egit Numine.
Domum in templum verterat;
Ipſe ara patuit populis.
Cælum non fulſit modo;
Sed detuliſse in Terras viſus eſt
Religione.

PAVPERTAS.

NObili genere, non indecoro aſpectu Virgo oculos cælo defixerat. Lacera multùm chlamyde nobiliùs ornata proſtratas opes libero pede premebat, ditior quòd minus egeret. enim vero abundat magis, qui minimùm concupiſcit. Puer alatus argenteam concham, argenteamque tubam ferebat. In baſi hæc.

Hoſpes minime ſumptuoſa
Secura Pacis, & bonorum cuſtos
Diuitias augeo Paupertas.
Eas opes cumulauit Borgia, quibus ſe ſpoliauit;
Iis fruebatur dumtaxat diuitijs,
Quibus aliorum felicitatem inaurabat.
Sed nunquam tantum profudit opum,
Quantum nunc refert
Omnibus per me ſibi impoſitis
In inuictos humeros
ſideribus.

PATIENTIA.

ANnorum, curarumque pondere fatigata, ſaxo inſidens, patienti humero iugum, ſubnixa manu caput fulciebat. denudato pede non detrectabat calcare ſpinas germinaturas capiti coronam. colludebat obequitans in arundine puer. In baſi hæc.

Palmas hìc meditor Patientia.
Per me fortius, quàm per arma
Vincunt Heroes.
Vicit, hauſitque labores Borgia *tolerando.*
Infractum eius animum
Affligere ſolum poterant illecebræ;
Re*ſarduæ, & aduerſæ nimium,*
oblectabant.
Et Fortunæ, & temporum iniurijs
Aut inuictum, aut inacceſſum
Quis eum Atlante maiorem extollere
dubitauerit?

Ca-

CASTITAS.

CAndido induta ſyrmate, velato vultu latus columnæ fulciendum committebat. Illius dexteram cinnamomi ramus ornabat. pede extinctum ſerpentem, iacenteſque humi gemmas, & opes proterebat. Infans albam muſtelam, & geminos turtures ludibundus agitabat. In baſi hæc.

Per Aulas
Feruidas tempeſtatibus ſyrtes,
Vbi frequentiùs fœda deſlentur naufragia,
Securam me Borgia inuexit
Pudicitiam.
Non ſic gemmæ muniuntur cuſtode,
Vt me obſtinatis ſtipabat rigoribus:
Vix lumen oculis,
Vix quietem curis, vix corpori animum
Concedebat.
Ad molliores cupidinum riſus
Mauritano durior Atlante
Stupebat.

Mo-

MODESTIA.

PVrpureæ etatis Virgo artifici negligentia vultum ad pudoris leges compoſuerat. demiſſis in librum oculis legendo vacabat. dextera ſceptrum regebat oculatum. Procul oriri videbatur æmula eius vultus aurora. Infans occluſam cryſtallo flammam manu importat, & intuetur. In baſi hæc.

Modeſtia animorum moderatrix
Nobilis cenſoriæ ſeueritatis, & verecundi
Pudoris Filia
In lucem hanc prodire non auderem:
Sed video hìc cæteras Borgiæ
Virtutes.
Habeat me bonorum conciliatricem,
Quam habere morum magiſtram voluit.
Modum in rerum faſtigio,
Quod eſt difficillimum, retinuit;
Se præter modum depreſſit;
Hinc maximo maior Atlante
Supra gloriæ verticem aſſurgit.

Obe-

OBEDIENTIA.

DEducta ad talos veſte, qualis Matronam deceat, ſacrificalem victimam flammis iniectam aſpicit. Adſtabat hinc canis, hinc nauis, in cuius puppi circumferendam ventorum arbitrio mobilem infans corollam offerebat. In baſi hæc.

Ne me ſeruilis indolis credite,
Quòd obtemperare nata ſim
Obedientia.
Ad imperium parendo proluditur.
Et Borgia ſublimiùs duxerat parere,
quàm imperare.
Vnum imperium dominus affectauit
in ſe ipſum:
Imperauit acriùs cupiditatibus,
Cæteris glorioſiùs obtemperauit.
Per ardua hæc virtutis faſtigia
Celſior Atlante euenit.

MANSVETVDO.

PAcato vultu, amabilique elegantia, neque inculta habitu Virgo, altera manu elephantum regere, altera mundum gerere viſebatur. nempe non procul eſt ab orbis imperio Princeps manſuetus. infans oliuæ ramo agnum inſequitur. In baſi hæc.

Regia virtus Manſuetudo
Delere felici iniurias obliuione
Reges doceo;
Abſtergebat Borgia beneficijs.
Quamquam ira nobile ſe vitium iactet
Affine virtuti, Regibus familiare;
Nunquam Borgia *obiraſci viſus eſt,*
Niſi ſibi infenſus,
Hoſtibus pacatiſſimus.
Arduum ſane erectæ virtutis culmen:
Sed humilis tanto Atlanti
Gradus.

SAPIENTIA.

ALato capite, oculata chlamyde, ſolem pectore gerens dexteram aureo ſceptro exornat. Ad eius latus iunior Virgo Apocalypſis librum ſuſtentat ſeptem munitum ſigillis, inſidenteque ſupra eum agno. Aliger infans manu purpureũ ſolem præfert. Aquila fulmina in faſcem vngue inoffenſo colligat. In baſi hæc.

Ignoratis
Quam ſapiens extiterit Borgia?
Ille ſapienter vixit.
In contubernium pietatis nunquam
Me non adhibuit Sapientiam.
Curis defeſsis otium hoc negotioſum fecerat:
Noſcere, & neſcire ſe.
Cæli cognitionem adeo ſibi comparauit;
Vt cæleſtium rerum longè peritus
Merito ſibi nomen fecerit
Atlantis.

INTELLIGENTIA.

SVblimi genere, conſpicuo vultu Virgo nobilium artium magiſtra radium, & circinum, rerum molem pari dimenſione æquatura, gerebat. illius ſiniſtram fortunatæ Inſulæ onerabant. Infans offerebat elatum manu organum. In baſi hæc.

Quæ ſim intelligitis?
An ignota lateo, per quam res noſcuntur,
Intelligentia?
Illa ego ſum hominum ſpecimen, & pretium;
Naturæ æmula, eaque
Felici mentis puerperio fecundior.
Immota loco quacumque circumferor
Ocyor, & ſine errore vaga.
Laudes ſed meas Borgia pari
Mentis ſublimitate
Arduum ſuper atlantem euexit:
ſat eſt.

VERITAS.

INgenuo vultu ſub peregrina veſte decens Virgo fidele ſpeculum manu attollit, vnde repercuſſa emicat flamma. In illa puer alatus cereum funale incendit. ab altero hinc ephebo non mendax horarum index horologium præfertur. In baſi hæc.

Mentita veſte
Ingenua peregrinor Veritas:
Mentis quies oberro
Inuiſa, & exul ex adulantibus aulis;
Hic tamen ſecura Borgiæ inobſequium ſiſtor,
Qui me familiare ſemper excepit in hoſpitium.
Non oderint me, cum veras
Et meras huc venerim dictura laudes.
Sed mentiar
Ni illum laudibus Atlante celſiorem
fecerim.

VITA ACTVOSA.

RVſtico cæſariem pileo inumbrabat. frons illi nobiliùs quam villicæ ruricolæ enitebat. non ſceptrum manu, ſed aſſuetum quoque tractari Regibus aratrum tenebat. humerum ſplendido ligone onerauerat, nec ſine ornatu. Illam ante puer prodiga manu ſpes agricolarum diſſeminabat. In baſi hæc.

A me diſcant viuere perennius
Mortales, quos properantibus fati vmbris
Naturæ neceſsitas deſtinat.
Otij inimicam, amantem laboris
Vitam viuite actuoſam.
Tantum viuitis, quantum ſolerter agitis.
Nouit id Borgia:
Mortem hinc victuro labore deluſit,
Famam rebus præclarè geſtis æternauit.
Cælum non ſtando, ſuſtentauit,
ſed agendo.

Con-

CONTEMPLATIO.

INflammata vultu, circumfuſa radijs, pari-
turæ auroræ ſimilis purpurabat, niſi quod ſolem iam pectore gerebat. illam ponè pulcher pauo oculatam caudam explicauerat. Infans alatus terſum ſpeculum attollebat. In baſi hæc.

Pia Templorum Hoſpita
Contemplatio
Aerumnarum ſolatium,
Humanæ mentis auriga,
Borgiam frequentius in cælum inuexi.
Ille procul à curarum ſtrepitu in aula clamoſa:
Procul à ſenſibus, dum adhuc viueret,
adeo ſibi abreptus
Cum ſuperis verſabatur,
Vt Borgiam ſæpe in Borgia quæreremus.
Supra terram tantum corpore,
Celſior Atlas
Cælum mente occupauerat.

MISERICORDIA.

VIrgo aligera, induerat enim alas, vt miſeris ſubueniret Miſericordia ; frontem oliuæ ramo velabat; dextera ramum cedri ſuo grauem fructu gerebat. ad eius latus cornix, & infans, qui inſidens iride clypeum offert cum aquarij Imagine inibi inſculpta. In baſi hæc:

Siſte ſpectator:
Ediſce hoc à Miſericordia:
Aliorum te miſeriæ felicem reddunt,
Si te miſeriarum miſereat.
Vides vt Borgia
Miſericors, & cor miſerorum,
Pauperum parens ſalutatus à populis,
Quod eorum ærumnis premi amauerit
celſior euectus
Beatum infert verticem
In Regiam felicitatis!

ANIMARVM CVRA.

RIgido, ſed amabili aſpectu Virgo dexteram flagello aſperauerat, pœnas pro aliorũ delictis ſolutura. ſiniſtra conſpicuam claro ſplendore lucernam præferebat, amiſſam gemmam inſpecturæ ſimilis. Infans bellico tormento equitabat. In baſi hæc.

Tanta me flamma
Ad aſſerendos vrit cæleſtes Borgiæ honores
Quanta illum inexpleta de populorum
Salute cupiditas abſumebat.
Nullam noctem immemorem ſubditorum
Agebat;
Nullum diem feruidis deſiderijs
De rebellium nationum
Ad ſinceram fidem reditu non incendit.
Non ego quieſcam, donec illum
Atlante ſublimiùs euehem.

Ani-

ANIMI DEMISSIO.

DEmiſſis in terram oculis, villoſam, laceramque induta veſtem ſiniſtra ſportulam, humero ſarcinas geſtat. auream coronam pedibus premit. propè vipera cernitur ſemiuiua, ſpeculi fragmento inuoluta. cernitur & leonis caput. Ephebus viridem palmitem extollit, & pilam. In baſi hæc.

Franciſco Borgiæ,
Quem honores ambiere contempti,
Quem purpura fugitiuum inſecuta eſt fruſtra:
Quem gloria deprimentem ſe altius
Suſpexit:
Fulcienti iam cæleſtes orbes
Humero, quo ſarcinas ferre affectauerat;
In obſequium, & gratulationem
Hìc lubens deuoluor,
Et ad tanti pedes Atlantis ſublimius
Erigor Demiſſio.

LIBERALITAS.

OS, habitumque Reginæ præferens, regio innixa ſolio eminebat. altera manu circinum agebat, quaſi amplis muneribus benefactorum molem dimenſura; altera diffundebat gemmas. prope videbatur elegans ephebus floribus, & malis punicis onuſtus. In baſi hæc.

Auara nimis forem
Liberalitas,
Si in hoc Borgiarum virtutum theatro
Neque mei copiam facerem, neque obſequij.
Nulla alia virtus
Sic Borgiæ familiaris, & innata,
vt liberalitas.
Naturæ magis quàm virtuti
Tribuebatur illi eſſe liberalem.
O dignum Heſperidum hortis Atlantem,
Qui diuitias ſuas populorum faceret
Delicias!

VICTORIA.

PEllem leonis, iucundumque horrorem Virgo ſimilis Amazoni obarmata induerat. crines triumphali lauro cinxerat. dextera purpureum vexillum explicarat. ſub pedibus ferocem animorum tyrannum Cupidinem habet. aliger ephebus ſalamandram igni impoſitam ſecuram flammarum intuetur. In baſi hæc.

Inuicto Borgiæ
Orbis cedite domitores
Certaminum arbitra edico
Victoria:
Maior is, qui è Mortis puluere,
Non è Martis alea victor redit incruentus.
Maior is, qui hoſtem omnium fortiſsimum
Amorem
Odio ſui, & victrici fuga profligauit.
Huic ego cæleſtes orbes in coronam,
In trophæum me ſtatuo
Victoriam.

Vi-

VITAE AVSTERITAS.

SEuero ſupercilio, adhuc tamen amabilis, oculos in cælum direxerat ſuam veluti in ſedem. pectus rigentibus cilicijs munierat. manibus denudatas roſis ſpinas in faſcem complicabat. ad eius pedes leo victor domitam vrſam dilaniat. infans alatus prope editam turrim inſequitur hyſtricē. In baſi hæc.

Fortium educatrix Heroum,
Auſteritas
A blandis procul voluptatum ſcopulis
Per intentatum vulgo culmen
Borgiam
Ad gloriæ, & Atlantis faſtigium perduxi.
Omnibus ſuauis, ſibi rigidus
Ad deliciarum inuidiam aſpera dilexit cilicia
Quam crebrò flagris, & ferreis ſtellis
Humeros cruentauit?
Ad fulcienda namque ſidera
Sic proluditur.

Ab-

ABSTINENTIA.

LÆto pallore ſuffuſa, contenta paruo cælum inſpectabat cæleſti hauſtu recreata. illęſa manu fidelem flammam ſuſtentabat viuacem ſine pabulo. tetrum impauido pede Crocodilum proterebat. Infans alatus ibat poſt fugacem leporem. In baſi hæc.

Intemperantem eſſe aliquando
In Borgiæ temperantiæ laudibus
Permittite Abſtinentiam.
Illa hic ego ſum eius menſæ hilaris miniſtra.
Nunquam ad epulas venit non inuitus
Nunquam ad famem ſedandam diutius ſedit.
Sed facilius illi erat dapibus abſtinere, quam veſci;
adeo ſibi palatum corruperat.
Cæleſtis Atlas
Non niſi cæleſti nectari
Aſſueuerat.

Con-

CONCORDIA.

PAcato vultu conſonam animi harmoniæ citharam ſiniſtra gerit. dextera geminos infantes repellere videtur, alterum eliciendis intentum ampullis, alterum inducentem ſibi vultum perſonatum. deſuper aliger ephebus arripere manibus exorientem è mari lunam geſtit. In baſi hæc.

Non me inermem Borgia
Sed obarmatam in cordis alea Concordiam.
Præfecit.
Pacem prælijs educauit
Sed in ſeipſum ſtrenuè præliaris
Sic poſthuma Belli filia
Parens illi fecunda fui bellorum.
Sed nunquam ſecurus magis vixit concordię,
Quàm cum ſibi diſcors.
Auditis iam
Vt concors hìc virtutum concentus
Pacem, & immortalitatis triumphum.
Pacato gratulatur Atlanti.

SOLERTIA.

ORnata Virgo, compoſito crine, ſplendidaque veſte, thymum. dextera gerebat, quem examen circum apum coronabat. ſiniſtra ſuſtinebat anchoram, cui facili delphinus flexu implicabatur. Infans alatus ad eius pedes cum grue colludebat. In baſi hæc.

Inuiſa otio ſolertia
Impigra magnarum virtutum comes,
Quid hic niſi gratias Borgiæ *peragam?*
Nihil ille non Heroicum
Nihil me non adiutrice patrauit.
Compertum nempe habebat:
Nihil vnquam immortale homines acturos,
Niſi venenum virtutis, lentam mortem,
Eiecerint torporem.
Quam ſolerter Borgia egerit quæritis?
Eum Atlantem ſuſpicite.

Cle-

CLEMENTIA.

VIrgo aſpectu clementer rigido, dextera bellicam haſtam ſiniſtra ſagittam conuerſa in terram cuſpide gerens ſupra leonem non detrectantem onus inſidebat. alatus ephebus Pyramidem complectebatur. In baſi hæc.

Regalis animi ſpecimen
Clementia
Borgiæ hic gratulor clementiſsimo,
Quem populi parentem prædicabant;
Reorum turba in ſupplicijs beneficum
Amabat;
Hoſtes vlciſcentem iniurias beneficijs
Admirati ſunt.
Borgiæ clementiam,
Quam conſcia nunc ſidera munerantur,
Solus Borgia ignorauit.

CONSTANTIA.

MAtrona graui aſpectu, non mutaturo vices, coronam, glorioſi finis præmium, manu ſferebat. Illam propè firmior ex mentito marmore columna erigebatur, qua velatis Accipiter oculis inſidebat. At ephebus victuram incudinem indefeſſo verbere percutit. In baſi hæc.

Fortitudinis filia,
Fortium Virorum alumna, ita Borgiam
inſtitui:
Vt numquam inter aduerſæ fortunæ
Tempeſtates fluctuauerit;
Conſiliorum robur, laborum pretium,
Rectè factorum decus
Numquam in conſtantia non conſtituerit.
Firmior Atlante, ſeque maior
Cæli columna, & columen
dictus eſt.
Nos hìc virtutes conſtanter
Gratulabimur.

FINIS.

VITTORIO EMANUELE

INDEX
ODARVM,
& Epigrammatum.

FRanciſcus Borgia cælifer Atlas ode pag. 9.
Cælum lunæ ode pag. 12.
Cælum Mercurij ode pag. 15.
Cælum Veneris ode pag. 17.
Cælum ſolis ode pag 20.
Cælum Martis ode pag. 23.
Cælum Iouis ode pag. 26.
Cælum Saturni ode pag. 29.
Cælum ſidereum ode pag. 32.
Primum mobile ode pag. 35.
Cælum Empyreum ode pag. 38.

Signa Zodiaci

Aquarius ode pag. 71.
Aries ode pag. 81.
Cancer ode pag. 84.
Capricornus ode pag. 90.
Gemini ode pag. 83.
Leo ode pag. 85.

Libra ode pap. 85.
Piſces ode pag. 92.
Sagittarius ode pag. 89.
Scorpius ode pag. 88.
Taurus ode pag. 82.
Virgo ode pag. 86.

Signa alia Cæleſtia per Odas.

Aquila ode pag. 53.
Bootes ode pag. 63.
Capella ode pag. 75.
Chamæleon ode pag. 67.
Cycnus ode pag. 61.
Hercules ode pag. 57.
Lepus ode pag. 65.
Meduſæ caput ode pag. 55.
Orion ode pag. 73.
Sagitta ode pag. 71.
Spica Virginis ode pag. 59.
Vrſa minor ode pag. 69.

Per Epigrammata.

Andromede epigr. pag. 44.
Ara epigr. pag. 45.
Arcturus epigr. pag. 79.
Argo epigr. ibid.
Auis cæli epigr. pag. 42.
Caſſiopea epigr. pag. 40.

Cepheus epigr. pag. 41.
Chiron epigr. pag. 45.
Corona Ariadnæ epigr. pag. 46.
Coruus epigr. pag. 80.
Crater epigr. pag. 43.
Delphinus epigr. pag. 47.
Delta epigr. ibid.
Draco epigr. pag. 41.
Eridanus epigr. pag. 46.
Grus epigr. pag. 43.
Hydra epigr. pag. 79.
Indus epigr. pag. 42.
Iupiter epigr. pag. 78.
Luna epigr. pag. 76.
Lyra epigr. pag. 48.
Mars epigr. pag. 77.
Mercurius epigr. ibid.
Pauo epigr. pag. 43.
Pegaſus epigr. pag. 47.
Perſeus epigr. pag. 40.
Phænix epigr. pag. 44.
Piſcis volans epigr. pag. 42.
Pleiades epigr. pag. 79.
Saturnus epigr. pag. 78.
Serpens Aeſculapij epigr. pag. 46.
Sirius epigr. pag. 44.

Sol epigr. pag. 77.
Venus epigr. pag. 76.
Via lactea epigr. pag. 78.
Vrſa maior epigr. pag. 41.

Inſignia, quæ vulgo dicuntur, Impreſe.

Pro mentis celſitate in oden cœliferi Atlantis inſigne pag. 8.
Pro imitatione diui Ignatij in cælũ lunæ inſigne p. 11.
Pro dono linguæ in cælum Mercurij Inſigne pag. 14.
Pro pudicitia in cælum Veneris Inſigne pag. 16.
Pro cæleſti contẽplatione in cælũ Solis Inſigne pag. 19.
Pro animi victoria in cælum Martis Inſigne pag. 22.
Pro beneficentia in cælum Iouis Inſigne pag. 25.
Pro felici regimine in cælum Saturni Inſigne pag. 28.
Pro virtutibus innumeris in cælum ſidereum Inſigne pag. 31.
Pro primis curis de Braſilorum ſalute in primum mobile Inſigne pag. 34.
Pro deſiderio patriæ beatæ in cælum Empyreum Inſigne pag. 37.
Pro tutela Imperij Auſtriaci inſignum Aquilæ Inſigne pag. 52.
Pro ſanctiori vita in ſignum meduſæ Inſigne pag. 54.
Pro animi fortitudine in ſignũ Herculis Inſigne p. 56.

Pro delicijs Euchariſticis inſignum ſpicæ Virginis Inſigne pag. 58.
Pro candore animi in ſignum Cycni Inſigne pag. 60.
Pro generis nobilitate in ſignũ Bootæ Inſigne pag. 62.
Pro fuga ab honoribus in ſignũ leporis Inſigne pag. 64.
Pro charitate in ſignum Chamæleōtis Inſigne pag. 66.
Pro pijs in cælũ votis in ſignũ ſagittæ Inſigne pag 70.
Pro ſtudio venandi ad Chriſtum animos in ſignum Orionis Inſigne pag. 72.
Pro amanti ſubditorum cura in ſignum capellæ Inſigne pag. 74.
Pro gentilitijs Clementis X. ſtellis in ſignum Septemtrionum Inſigne pag. 68.

Virtutum Ideæ coloribus expreſſæ in ſtatuas cum inſcriptionibus.

Abſtinentiæ Idea, & inſcriptio pag. 125.
Auſteritatis vitæ Idea, & inſcriptio pag. 124.
Caſtitatis Idea, & inſcriptio pag. 110.
Charitatis Idea, & inſcriptio pag. 102.
Clementiæ Idea, & inſcriptio pag. 128.
Concordiæ Idea, & inſcriptio pag. 126.
Conſtantiæ Idea, & inſcriptio pag. 529.
Contemplationis Idea, & inſcriptio pag. 118.

Cu-

Cura animarum Idea, & inſcriptio pag. 120.
Demiſsionis animi Idea, & inſcriptio pag. 121.
Famæ Idea, & inſcriptio pag. 99.
Fidei Idea, & inſcriptio pag. 100.
Fortitudinis Idea, & inſcriptio pag. 106.
Intelligentiæ Idea, & inſcriptio pag. 115.
Iuſtitiæ Idea, & inſcriptio pag. 103.
Liberalitatis Idea, & inſcriptio pag. 122.
Manſuetudinis Idea & inſcriptio pag. 113.
Miſericordiæ Idea, & inſcriptio pag. 119.
Modeſtiæ Idea, & inſcriptio pag. 111.
Obedientiæ Idea, & inſcriptio pag. 112.
Patientiæ Idea, & inſcriptio pag. 109.
Paupertatis Idea, *& inſcriptio* pag. 108.
Prudentiæ Idea, & inſcriptio pag. 104.
Religionis Idea, & inſcriptio pag. 107.
Sapientiæ Idea, *& inſcriptio* pag. 114.
Solertiæ Idea, & inſcriptio pag. 127.
Spei Idea, & inſcriptio pag. 101.
Temperantiæ Idea, & inſcriptio pag. 105.
Veritatis Idea, & inſcriptio pag. 116.
Victoriæ Idea, & inſcriptio pag. 123.
Vitæ actuoſę Idea, & inſcriptio pag. 117.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 4. ver.	24.	tribuetur	tribueretur
19	13	euoluat	euolat
33	3	crocs	crocis
50	11	caracteribus	characteribus
56	11	eſuuias	exuuias
63	5	obſequiijs	obſequijs
64	2	eſpreſſimus	expreſſimus
79	1	vltus	vultus
ibid.	7	ſterope	Sterope
115	17	atlantem	Atlantem

FINIS.